Höpken, Eduardus
De Thucydidis prooemii compositione

DE THUCYDIDIS PROOEMII COMPOSITIONE

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA BEROLINENSI RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS HÖPKEN
EMDENSIS

5

PROMOTIO HABITA EST DIE XX. MENSIS DECEMBRIS MCMXI

De dissertatione ad ordinem rettulerunt professores
Dr. U. DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF
Dr. E. NORDEN

Numburgi Saxonum
Typis H. Sieling

PATRI

STUDIORUM MEORUM AUCTORI

Thucydides prooemio, quo continentur libri I capita I—XXIII, de eximia belli Peloponnesiaci magnitudine exponit. Cuius prooemii capita II—XIX, quibus res ante bellum Peloponnesiacum gestae aguntur, archaeologiam appellamus. Qua contineri argumenta sententiae capitis I, qua bellum Peloponnesiacum maius fuisse prioribus bellis affirmatur, Classen in commentariis[1]) concludit e verbis capitis I extremis: *τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα σαφῶς μὲν εὑρεῖν διὰ χρόνου πλῆθος ἀδύνατα ἦν, ἐκ δὲ τεκμηρίων ὧν ἐπὶ μακρότατον σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει, οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι οὔτε κατὰ τοὺς πολέμους οὔτε ἐς τὰ ἄλλα.* Quae argumenta vel *τεκμήρια* ita discernenda esse existimat: „I. für die Zeiten vor den Perserkriegen (*τὰ παλαιότερα*): 1) der Mangel an festen Wohnsitzen c. 2. 2) an einheitlichem Zusammenhang c. 3. 3) an einer bedeutenden Seemacht c. 4—15, 1., wie denn auch kein Staat in Griechenland zu einer ansehnlichen Landmacht gelangte, und nur Grenzkriege geführt wurden c. 15, 2. 3. 4) die Übermacht des persischen Nachbarreiches, besonders für die Jonier c. 16. und 5) die ängstliche Vorsicht der Tyrannen für die von ihnen beherrschten Landschaften c. 17; II. für die Perserkriege und die folgenden Zeiten (*τὰ πρὸ αὐτῶν*) die kurze Dauer der Vereinigung der Hellenen gegen die gemeinsame Gefahr, nach deren Zerfall die Ausbildung der lakedämonischen und der attischen Hegemonie nur als eine Vorbereitung für den peloponnesischen Krieg anzusehen ist, c. 18. 19.“ Cui interpretationi repugnant primum verba illa capitis I extrema ipsa, quibus non bellum Peloponnesiacum maius prioribus fuisse, sed priora non magna fuisse e certis quibusdam argumentis concludendum esse auctor dicit. Deinde verba capitis XX prima *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον* non tam argumenta exiguitatis

---

[1]) Eas Classeni sententias, quas Steup in quarta editione (1897) mutavit, e tertia editione (1879) adscripsi, Classeni ceteras et Steupii discrepantes sententias e quarta editione; consensum amborum non nisi gravioribus locis memoravi.

quam ipsam descriptionem rerum priorum archaeologia contineri demonstrant. Id quod prorsus apparet e verbis capitis XXI primis *ἐκ δὲ τῶν εἰρημένων τεκμηρίων ὅμως τοιαῦτα ἄν τις νομίζων μάλιστα ἃ διῆλθον οὐχ ἁμαρτάνοι*, quae ad illa capitis I verba aliquo modo referenda esse iam similitudo docet. Haec verba sic vertit Classen: „wenn es schwer ist, sich nach ungesichteten Zeugnissen (*παντὶ ἑξῆς τεκμ.*) eine feste Ansicht zu bilden, so wird doch, wer die dargelegten Verhältnisse (*ἃ διῆλθον*) nach den von c. 2—19 nachgewiesenen Beweisgründen (*ἐκ τῶν εἰρ. τεκμ.*) im wesentlichen so (wie sie soeben entwickelt sind) auffaßt, nicht irre gehn.“ Ubi sint scripta „die dargelegten Verhältnisse“, non aperte dicit Classen; sed apparet ea scripta esse in capitibus II—XIX. Continet igitur archaeologia descriptionem rerum priorum adiunctis suo loco argumentis, quibus se confidere posse Thucydides ratus est. Et hac descriptione explicantur illa capitis I verba extrema. Itaque Classeni interpretationem non satis rectam esse intellegimus; eam autem sententiam, quam nos modo adumbravimus, etiam alii viri docti habuerunt. U. Köhler in dissertatione „Über die Archäologie des Thukydides“, quam in commentationibus philologis in honorem Th. Mommseni scriptis p. 370 sqq. emisit, sic iudicat: „Unter dem Eindrucke der Ereignisse des peloponnesischen Krieges hat es der Verfasser unternommen auf wenigen Seiten die politische und Kulturentwicklung des hellenischen Volkes von seinen Anfängen an zu skizzieren, um zu zeigen, daß und weshalb keine der früheren Begebenheiten sich mit dem jüngsten Kriege messen könne.“ Ad singulas nonnullas Köhleri interpretationes postea revertemur. Porro H. Stier in fasciculo XVIII p. 29 sqq. libellorum, qui „Lehrproben und Lehrgänge aus der Praxis der Gymnasien und Realschulen“ inscribuntur, in usum scholarum dispositionem prooemii etiam ad singula descendentem emisit, ubi eodem modo iudicavit praecipue de archaeologia et multa recte explicavit, quamquam non omnia probanda mihi videntur; sed cum omnia interpretationis suae argumenta omiserit, singula persequi operae pretium non est.

Videtur tamen compositio prooemii etiam aliis non carere difficultatibus. Post Ullrichium, qui primus in dissertationibus illis, quae „Beiträge zur Erklärung des Thukydides“ inscribuntur, de simplici compositione operis Thucydidii dubitavit, quarum dissertationum qui ad prooemium attinent locos suo loco memorabo, singulariter de archaeologiae cum prooemio conexu Ćwikliński in dissertatione inaugurali Berolinensi, quae inscribitur „Quaestiones de tempore quo Thucydides priorem historiae suae partem composuerit“, p. 23 sqq. hanc sententiam proposuit: cum inter capitis I paragraphos 1 et 2 atque inter capita XXII et XXIII conexus sententiarum

desit, totam archaeologiam cum iis sententiis, quae eam praecedant et subsequantur, inde a capitis I paragrapho 2 usque ad finem capitis XXII, insertam esse priori prooemio, quod initium capitis I et caput XXIII tantum continuerit. Praeterea E. Schwartz in Musei Rhenani tomo XLI (1886) p. 203 sqq. non solum hanc Ćwiklińskii sententiam probavit, sed etiam, cum permultis singulis locis offenderet, prooemium et archaeologiam e Thucydidis sententia non inter se cohaerere, sed a Thucydide non perfecta ab editore quodam sententiis saepe falso consertis male retractata esse existimavit. Atque etiam Steup, qui Classeni sententiam probat, nonnullos singulos locos, cum non recte intexti esse ei viderentur, a Thucydide postea fortasse in margine adscriptos esse coniecit.

In hac tanta sententiarum varietate compositio prooemii denuo examinanda nobis videtur, cum a singulorum verborum sententiarumque interpretatione ad universum conexum cognoscendum progredimur. Agemus primum omissa archaeologia de universi prooemii compositione, quae e capitibus I et XX—XXIII cognoscitur, deinde de singulari archaeologiae compositione.

A. De universi prooemii compositione.

I. De capite I.

In verbis primis *Θουκυδίδης Ἀθηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους* viri docti de tribus rebus nondum omnino recte iudicare mihi videntur.

Primum Krüger in commentariis [1]) verbum *ξυγγράφειν* de ea Thucydidis propria scribendi ratione, qua varias rerum gestarum narrationes ita componit atque coniungit, ut una et vera descriptio belli efficiatur, intellegere videtur, cum scribit: „Das Compositum *ξυγγράφειν* bezieht sich auf die Verarbeitung des mannigfachen Stoffes zu einem Ganzen.“ Similem sententiam habet scholiastarum quidam: *ξυγγράψαι τὸ μετ᾽ ἐπιμελείας καὶ σπουδαίως συντάξαι, γράψαι δὲ καὶ τὸ ἁπλῶς καὶ μὴ ἐπιμελῶς τὴν ἀλήθειαν ἀνευρεῖν.* Sed haec verbi *ξυγγράφειν* significatio nullo modo satis probari potest. Nam hoc

[1]) *Θουκυδίδου ξυγγραφή.* Mit erklärenden Anmerkungen herausgegeben von K. W. Krüger. Ersten Bandes erstes Heft, erstes und zweites Buch. Dritte verbesserte und sehr vermehrte Auflage (der folgenden Hefte zweite Auflage). Berlin 1860. Hos commentarios optimos omnium esse censeo, ubi e singulorum locorum egregia interpretatione eluceat bonum totius sententiarum ordinis iudicium, quamquam de compositione aperte non agatur.

verbum apud Homerum inusitatum, quo etiam Herodotus, cuius verba I. 48 *ταῦτα οἱ Λυδοὶ θεοπιασάσης τῆς Πυθίης συγγραψάμενοι οἴχοντο ἀπιόντες ἐς τὰς Σάρδις* exempli causa afferam, simpliciter de verbis auditis per litteras consignatis utitur, apud Thucydidem locis omissis, quibus in fine descriptionis singulorum belli annorum iterum auctorem se profitetur, adhibitum invenimus non nisi de rebus usque adeo memoria tantum traditis, tum vero litteris mandatis, in libri V capite XLI de pacis condicionibus, in l. V c. XXXV de foedere, ubi scholia *συμφωνία γεγραμμένη* interpretantur, in l. VIII c. LXVII de legibus patriis, quas qui colligunt *ξυγγραφεῖς* appellantur [1]. Prorsus autem ex eo, quod Thucydides in libri I capite XCVII Hellanici opus *Ἀττικὴν ξυγγραφήν* nominat (quo nomine etiam Herodotus I, 93 ad descriptionem historicam significandam utitur), apparet non aliter eum cogitare de suo opere quam de Hellanici, sicut etiam posteriores scriptores hoc verbo de omni operum pedestrium genere utuntur. Nihil aliud igitur Thucydides dicit nisi se historiam belli Peloponnesiaci litteris mandavisse, de sua propria vero scribendi ratione, quam quidem capitibus XXI et XXII explicat, neque hoc verbo neque hoc loco cogitat. Praepositio autem *ξυν-* cum verbo *γράφειν* coniuncta significat collectionem tantum singulorum verborum sententiarum legum rerum gestarum e memoria vel e traditione factam.

Porro Ullrich (Beitr. zur Erkl. des Thuk. p. 12sqq.), cui adsentitur Schwartz (l. l. p. 212), in eo offendit, quod Thucydides, cum articulum praeponat *τ ὸ ν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων,* bellum quasi lectoribus notum nominet, quamvis nihil iam antea accuratius de eo dixerit. Cui Krüger et Classen respondent, Thucydidem hoc maximum inter Peloponnesios et Athenienses bellum quasi unicum et *κατ᾽ ἐξοχήν* articuli nota affecisse. Sed non recte dixerunt utrique. Immo titulum praescripsit Thucydides operi suo, non aliter ac Felix Dahn opus inscripsit „Der Kampf um Rom", ut unum e plurimis nostrae aetatis exemplis adscribam, ubi nemo postulat prius exponi, quam pugnam in animo habeat auctor; id enim e libro ipso cognoscitur. Eodem modo *ὁ πόλεμος τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων* titulus est, quo auctor bello describendo nomen imponit; quem ad titulum spectat, ubicumque postea scribit *οὗτος ὁ πόλεμος*.

Denique falso interpretatur Classen verba *ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους*, cum scribit: „mit diesen W. verheißt Th. eine wahrheitsgetreue Darstellung". Si Thucydides hoc non apertius neque facilius intellectu dicere potuisset, iure miraremur neque minus mira essent

[1]) Similiter in inscriptione Attica Eleusine inventa (Dittenberger Syll.² Nr. 20, 3) viri qui legem priusquam de ea populus egit conscripserunt *χσυγγραφῆς* appellantur eorumque opus *χσυγγραφαί*. cf. Dittenbergeri adn. ad h. l.

verba libri V capitis XXVI *τὰ ἔπειτα ὡς ἐπολεμήθη ἐξηγήσομαι.* Sed eo consilio ambobus locis Thucydides scripsit haec verba, ut accuratius propositum circumscriberetur: se non nisi res hoc bello gestas traditurum esse.

Thucydides postquam se litteris mandavisse bellum, quod bellum Peloponnesiorum et Atheniensium nominat, neque alio se spectavisse quam ad ipsas res in bello gestas praescripsit, de origine operis sui exponit, id quod nostrae aetatis auctor praefationem appellat: coepisse se conscribere opus statim initio belli, cum hoc bellum maius omnibus antea gestis fore exspectaret. Hoc loco recte omnes interpretes praeter Herwerdenum et Steupium, quorum alter particulam *καί* delere, alter sententiam, quam nos habemus in verbo „etiam“, subicere voluit, participia *ἀρξάμενος καὶ ἐλπίσας*, quamquam secundum causam prioris continet, coordinata esse dicunt, exemplum insigne sermonis veteris, qui vulgaris et cotidianus omnibus temporibus adhibetur. Exspectationis deinde suae duo argumenta fuisse Thucydides narrat: florem et potestatem utriusque populi et huius belli studium apud ceteras Graeciae nationes ortum, quarum complures ab initio alterius populi sociae erant, reliquae iam de societate cogitabant. Ubi postrema verba *τὸ μὲν εὐθὺς τὸ δὲ καὶ διανοούμενον* Classen non omnino recte interpretari mihi videtur, qui Thucydidem verborum *τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ξυνιστάμενον πρὸς ἑκατέρους* nimiam affirmationem moderari dicit verbis *τὸ δὲ καὶ διανοούμενον.* Sed potius mihi videtur Thucydides affirmationis suae, si quis non fidem habiturus sit, causam accuratiorem addidisse, quasi cuidam contra dicenti: „non recte dixisti, non omnes socii facti sunt“ responderet: „immo omnes. nam pars statim socii facti sunt, pars, quamquam non statim decreverunt, tamen etiam in animo habebant“. Qua cum interpretatione optime congruit exemplum a Krügero allatum e libri V capite LXXX, 2: *οὐ μέντοι εὐθύς γε ἀπέστη τῶν Ἀθηναίων, ἀλλὰ διενοεῖτο, ὅτι καὶ τοὺς Ἀργείους ἑώρα.*

Sequuntur verba *κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ*[1]) *τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων.* Quorum constructionem recte exponit Krüger hoc modo: „*αὕτη* (dies) *μεγίστη δὴ κίνησις ἐγένετο*“ et recte fere addit Classen, *κίνησις* pro *κινήσεων* fere scriptum esse, id quod equidem sic exprimam: verbum *κίνησις* propterea in initio sententiae positum est, ut ad motus, qui bello Peloponnesiaco orti sint, de quibus exponendum est, praecipue

[1]) Recte adiungunt Krüger et Classen particulam *δή* superlativo *μεγίστη*, et falso Hude nonnullos sequens codices verbo *αὕτη*: non enim hoc bellum ipsum, sed eximia eius magnitudo praecipue memoranda est. Hanc particulam superlativo saepius adiungi dicit Krüger, et simillimum huius usus exemplum habemus in libri I

animum nostrum advertat auctor, id quod ita vertas: „si de bello Peloponnesiaco quaeres, quantus fuerit motus, hunc maximum fuisse motum dices.“ Herbst (Zu Thukydides I, p. 3 sqq.), qui etiam *κίνησις αὕτη* subiectum esse non recte putavit, praedicatum *μεγίστη* neque ad barbaros neque ad plurimos homines, sed ad Graecos tantum referri posse putavit, itaque hunc motum Graecis maximum fuisse, barbaris autem et plerisque hominibus non maximum fuisse, sed hos tantum tetigisse interpretatus est. Sed haec est nimis artificiosa simplicis constructionis sensusque dissolutio. Itaque Steup hanc Herbstii aliasque similes Classeni Stahlii aliorum interpretationes recte refutavit (Anhang p. 326 sq.), tamen et ipsi Steupio hoc bellum parti barbarorum maximum fuisse mirum est et commemoratio ipsa barbarorum, cum postea non nisi de Graecis agatur, mira videtur et verba *καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων* postea addita esse existimavit. Tamen nulla est huius opinionis satis idonea causa, neque dubito, quin Thucydides censuerit bellum Peloponnesiacum maximum fuisse non solum Graecis, sed etiam barbarorum parti cuidam et in maximam quandam partem hominum: nam postrema verba *ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων* vertenda sunt cum Krügero „über eine sehr große Strecke (Teil)“ neque vero cum Classeno „über den größten Teil“.[1] Id quidem ex hac sententia concludendum est, Thucydidem si non de bello viginti septem annorum, id quod Classen voluit, at tamen de expeditione Siciliensi et de Persis belli participibus cogitare.

Postquam huius sententiae ipsius offensiones refutavimus, de conexu huius et primae sententiae disserendum est, quem desiderant Ćwikliński et Schwartz: deesse inter has duas sententias sententiam, qua se recte bellum Peloponnesiacum magnum et memorabile fore exspectavisse Thucydides profiteatur, quam sententiam etiamsi scripta non esset facillime intellegi posse Classen et Steup dicunt, Ćwikliński

---

capite L, 2: *ναυμαχία γὰρ αὕτη Ἕλλησι πρὸς Ἕλληνας νεῶν πλήθει μεγίστη δὴ τῶν πρὸ αὐτῆς γεγένηται.* — In codicibus falsam lectionem praebentibus est codicis C manus recentior (c_r), cuius auctoritatem Hude interdum antiquiorem manum non recte adaequat; itaque scribendum est:

c. I *ἀδύνατα* ABEm$_2$ pro *ἀδύνατον* c_r GF$_1$ Dion. Hal. Greg. Cor.
c. XII *ἡσυχάσασαν* ABEMf$_2$ [G] pro *ἡσυχάσασα* c_r f_r *ἐξέπεμψε* ABEM pro *ἐξέπεμπε* c_r f_r G *πλεῖστον* ABEGM pro *πλέον* c_r f_r
c. XIII *ναυπηγηθῆναι* ABEGM pro *ἐνναυπηγηθῆναι* c_r f_r suprascr. G$_1$ (cf. infra p. 39)
c. XIV *εἴ τινες* ABEM [G] pro *οἵτινες* c_r f_r

[1] „Über den größten Teil“ Graece vertendum est *ἐπὶ τὸ πλεῖστον*. Sed cum articulus desit, non enumeratam et certam maiorem totius rei partem in animo habemus, sed magnam aliquam partem, quae maxima videri potest vel maximam adaequat, id quod Germanica lingua „sehr groß“ appellamus.

et Schwartz negant. Sed eiusmodi sententiam supplere omnino necesse non est. Falso autem interpretantur viri docti et hic et multis Thucydidii operis locis particulam *γάρ*, neque igitur rectum conexum cognoverunt. Nam particula *γάρ* non causam addit sententiae antecedenti, sed explicationem, qua huius sententiae singularia — quae interdum causas fere adaequare possunt — accuratius exponuntur vel enumerantur. Nostro igitur loco verbis *κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ ἐγένετο* non alia verba explicari posse apparet nisi *μέγαν τε καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων* (neque vero *ἐλπίσας*). Nam si verba *ἀρξάμενος καὶ ἐλπίσας κτλ.* scripta non essent, initium operis esset hoc: *Θουκυδίδης ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν Πελοποννησίων καὶ Ἀθηναίων ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους. κίνησις δὲ αὕτη μεγίστη δὴ ἐγένετο κτλ.* Nunc vero, cum auctor intericiat se initio belli coepisse, cum exspectaret id magnum et memorabile fore, verba *κίνησις κτλ.* explicationem fieri necesse est verborum *μέγαν τε καὶ ἀξιολογώτατον*. Itaque lingua Germanica sic vertendum est: „Thukydides beschrieb den Krieg, gleich zu Anfang beginnend, da er e r w a r t e t e (in hoc verbo quaedam vocis gravitas ponenda est), er werde groß und denkwürdig sein etc. Es ist dies nämlich (wie ja daraus, daß ich meine einstige Erwartung hier erwähne, schon hervorgeht) die größte Bewegung geworden etc."

Haec explicatio *κίνησις γὰρ αὕτη κτλ.* iterum ipsa explicatur sententia subsequenti *τὰ γὰρ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα σαφῶς μὲν εὑρεῖν διὰ χρόνου πλῆθος ἀδύνατα ἦν, ἐκ δὲ τεκμηρίων ὧν*[1] *ἐπὶ μακρότατον*[2] *σκοποῦντί μοι πιστεῦσαι ξυμβαίνει οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι οὔτε κατὰ τοὺς πολέμους οὔτε ἐς τὰ ἄλλα.* Ubi iterum Cwikliński et Schwartz conexum desiderant. Sed si sententias, quas Thucydides coordinavit, nostro more subiungis: „quamquam accurate omnia cognoscere nequeo, tamen priora non magna fuisse existimo", cognoscis, Thucydidem sententia graviore *οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα* illam priorem *κίνησις αὕτη μεγίστη δὴ ἐγένετο* explicare. Nam res, quae iam verbis *μεγίστη δὴ ἐγένετο* inest, priora magna non fuisse, etiam praecipue affirmatur. Eodem modo denique verba *οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι* singillatim explicantur

[1]) *ὧν* pro *οἷς* scriptum verbo *πιστεῦσαι* adiungendum esse mihi cum Classeno omnino convenit, qui recte capitis XX, 1 verba *παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι* adscribit.

[2]) Verba *ἐπὶ μακρότατον*, quae prima significatione de spatio loci adhibentur — quam significationem apud Herodotum inveniri Krüger adnotat — hoc loco non cum Krügero, qui Vallam alios sequitur, in longitudinem temporis praeteriti ab auctore explorati („weit in die Vergangenheit zurückgehend") referenda sunt, sed in magnum numerum earum rerum, quas auctor ad *τεκμήρια* invenienda et firmanda perscrutatus est, id quod etiam Classeno in animo fuisse videtur cum vertit: „bei einer möglichst weit ausgedehnten Forschung".

archaeologia *φαίνεται γὰρ κτλ.* Cognoscimus Thucydidem gravissimam sententiam in initio ponere et singulas explicationes aliam ex alia pendentes postea adserere, cum nos plerumque e singulis rebus exstruamus et in finem gravissimam sententiam imponamus.

Denique etiam in verbis *τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα* Herbst et Steup offenderunt. Et primum Steupio mirum videtur, praepositionem *πρό* de aetate iuxta antecedenti, quae aetati longius antecedenti contraria sit, adhiberi. Cuius offensionis causa est falsa verborum *τὰ πρὸ αὐτῶν* interpretatio Classeni a Steupio accepta: „*αὐτά* gebraucht Th. öfter prägnant von der eben vorliegenden Sache, dem besprochenen Verhältnisse"; sed omnibus locis, quos ipse et Steup afferunt, *αὐτά* semper in certum verbum antea scriptum referri potest. Unum autem locum, quo idem *τὰ πρὸ αὐτῶν* scriptum est, non adscripserunt ex libri VII capite LV, 2: *τά τε πρὸ αὐτῶν ἠπόρουν καὶ ἐπειδή γε καὶ ταῖς ναυσὶν ἐκρατήθησαν, ὃ οὐκ ἂν ᾤοντο, πολλῷ δὴ μᾶλλον ἔτι,* ubi eodem modo atque hoc loco verba *τὰ πρὸ αὐτῶν* de rebus id tempus, de quo agitur, antecedentibus adhibentur; *αὐτῶν* in nullum verbum antecedens referri potest; neque causa ulla est, cur Steup „unmittelbar vor" vertat vel hanc sententiam postulet[1]). Deinde autem Steup, cum Herbstii in verbo *παλαιά* etiam de bello Persarum et posterioribus temporibus adhibito offensiones reicit, miratur Thucydidem in duas partes tempora priora discernere, cum unum de ambobus iudicium habeat. Sed optime U. Köhler (commentationes in honorem Mommseni p. 371) duas has partes etiam in archaeologia factas esse et consulto hoc loco discerni observavit: in prima enim archaeologiae parte inde a capite II usque ad XII omnia temporum data ad bellum Troicum, in secunda inde a capite XIII usque ad XIX ad bellum Peloponnesiacum referuntur, ut priorem partem *τὰ ἔτι παλαίτερα,* secundam *τὰ πρὸ αὐτῶν* esse etiam inde cognoscamus. Postremo Herbst et Steup verba *διὰ χρόνου πλῆθος* et *οὐ μεγάλα* iis temporibus, quae *τὰ πρὸ αὐτῶν* appellentur, non apta esse dicunt. Sed de bello Persarum ea adhiberi posse a Steupio quoque conceditur et bellum Persarum etiam a Thucydide non ita magnum existimatum esse capite XXIII demonstratur. Tempora autem bello Persarum posteriora, de quibus Steup cogitavit, quod res gestas attinet, non valde magna fuisse apparet, ceterum Thucydidem hoc loco ad haec vix respexisse putem, cum res gravissimas neque vero singularia omnia in animo haberet. Neque ex re est, nimiam subtilitatem interpretationis adhibere.

---

[1]) Wilamowitz mihi attulit Sophoclis Antigonae versum 611, ubi poeta in futuro tempore *τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον* distinguit.

II. De capitibus XX—XXII.

Capitis XX primis verbis *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον* respondere verba capitis XXI, 2 *καὶ οὗτος ὁ πόλεμος . . δηλώσει μείζων γεγενημένος αὐτῶν* dixit Krüger, neque recte capitis XXI, 2 cum prioribus sententiis conexum omnino deesse putavit Schwartz. Utrique autem harum sententiarum respondentium affixae sunt longiores explicationes, quas accuratius disponere opus est.

Verbis archaeologiam concludentibus *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον* primum additum est, difficilem fuisse harum priorum rerum inventionem, *χαλεπὰ ὄντα παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι*, quae verba viri docti varie interpretantur. Non difficile quidem intelleguntur verba *παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι* et recte fere Classen explicavit loqui auctorem de fide quam non omni argumento, quodcumque secundum temporum ordinem forte sibi obvenerit, habere possit. Sed verba *χαλεπὰ ὄντα*, etiamsi cum Steupio ea pro *ἀδύνατα ὄντα* scripta esse existimes, cum infinitivo *πιστεῦσαι* coniungi non possunt, cum ad verbum *παλαιά* referenda sint neque verbo *πιστεύειν* accusativus eius rei quae creditur adiungatur; qua de causa Reiskius mutare voluit *πιστῶσαι*, sed hoc necesse non est. Verbis enim *χαλεπὰ ὄντα* desideratur infinitivus *εὑρεῖν*, infinitivo *πιστεῦσαι* regens verbum *ἀδύνατον ὄν*.[1]) Itaque e contractione sententiarum *τὰ παλαιὰ χαλεπὰ ὄντα εὑρεῖν* — quam ad constructionem cf. capitis I verba *τὰ πρὸ αὐτῶν . . . σαφῶς . . εὑρεῖν ἀδύνατα ἦν* — et *ἀδύνατον ὄν* (sc. *ἐμοὶ*) *παντὶ ἑξῆς τεκμηρίῳ πιστεῦσαι* vel *ἀδύνατος ὢν . . . πιστεῦσαι* hoc anacoluthon *χαλεπὰ ὄντα . . πιστεῦσαι* factum est. Haec verba explicantur sententia subsequenti, qua homines rerum famas pro veritate habere neque veritatem explorare affirmatur. Cuius rei addit exempla tria: primum de tyrannorum caede falsam esse Atheniensium opinionem,[2]) secundum et tertium etiam tunc temporis omnes fere Graecos falso credere, utrumque Lacedaemoniorum regem duo ferre suffragia et Pitanatam turmam iis adesse. Quibus exemplis intermissis repetit illam de credulitate hominum sententiam verbis *οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται.*

---

[1]) *ἀδύνατα ὄντα* pro *ἀδύνατον ὄν* scriptum esse censuit Hude in dissertatione inaugurali, quae inscribitur „Commentarii critici ad Thucydidem pertinentes“ (Hauniae 1888 p. 111 adn.). Sed haec sententia non omnem difficultatem reicit.

[2]) De tyrannorum caede Thucydides accuratius libri VI capitibus LIV—LIX exponit. Quamquam Steup Anhang p. 352 recte dixit, e comparatione earum rerum, quae utroque loco narrantur, concludi non posse caput XX libri I posterius capitibus LIV—LIX libri VI scriptum esse, tamen hoc concludi potest ex his rationibus. In libro VI Athenienses quaesivisse eos, qui Hermas mutilavissent, cum vererentur,

Deinde capitis XXI paragrapho 1 de recta inveniendae veritatis ratione auctor exponit. Particulam *ὅμως* hanc sententiam cum verbis primis capitis XX *χαλεπὰ ὄντα κτλ.* coniungere Classen adnotavit. Idem de constructione grammatica dixit primum in verbis *ἐκ τῶν εἰρημένων τεκμηρίων τοιαῦτα ἄν τις νομίζων μάλιστα ἃ διῆλθον οὐχ ἁμαρτάνοι* participio *νομίζων* obiectum *ἃ διῆλθον*, praedicatum *τοιαῦτα μάλιστα* adiungenda esse. Quae constructio quamquam difficilis est, ut Weilii coniectura *οἷ᾽ α διῆλθον* verisimilis fere videatur, tamen non habemus satis causae, cur mutemus. Deinde autem cum Classen dicit verba *ἃ διῆλθον* obiectum etiam participiis *πιστεύων* et *ἡγησάμενος* addenda esse, non recte existimat. Nam verbo *πιστεύειν* accusativus adiungi non potest, sed potius, cum sententiae „res descriptas tales existimans quales (in archaeologia) descripsi" contraria sententia „non eas tales fuisse credens, quales poetae eas fuisse canunt vel logographi narrant" exspectetur, ad *πιστεύων* supplendum erit hunc in modum: *αὐτὰ οὕτως ἔχειν ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασί κτλ.* Quae verba cum iterum difficilia animo supplenda videantur, Kaibelium pro *ὡς ποιηταὶ* et *ὡς λογογράφοι* scripsisse *οἷς ποιηταὶ* et *οἷς λογογράφοι* Wilamowitz mihi tradidit; sed etiam hic non mutem, praesertim cum etiam a nostra lingua similis dicendi mos non alienus videatur: „dem Glauben schenkend, wie es die Dichter und Logographen berichten." Cum vero usque ad verbum *ἐκνενικηκότα* haec sententia perspicua sit, magnam difficultatem praebent verba *ηὑρῆσθαι δὲ ἡγησάμενος ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων σημείων ὡς παλαιὰ εἶναι ἀποχρώντως*. Nam Classeni interpretationem: „*οὐκ ἄν τις ἁμαρτάνοι* ruht auf den drei Bedingungen, welche die Partt. *νομίζων, πιστεύων* und *ἡγησάμενος* mit ihren Objekten enthalten, so daß in dem Aorist des letzteren das Schlußurteil heraustritt: „nachdem er sich überzeugt haben wird, daß die Erforschung für so alte Zeiten das Möglichste erreicht hat" falsam esse apparet, ut praetermittamus, quod *ἡγήσασθαι* non significationem verbi „sibi persuasum esse" („sich überzeugt haben") accipere possit, ex his causis. Primum haec verba non sunt contraria participiis *νομίζων* et *οὐ πιστεύων*, id quod e par-

ne tyrannidem constituere conarentur, Thucydides narrat et hoc loco de Harmodio et Aristogitone accuratius exponit, quod ne Athenienses quidem accuratam rei notitiam haberent. Quam expositionem non omnino e re esse et potius excursum appellari apparet. In prooemio autem sententiam proponit auctor, homines ne in ipsorum civitate gesta quidem accurate scire, ad quam illustrandam optime tyrannorum caedis exemplum affertur. Sed quamquam hoc loco accuratior expositio magis e re erat, tamen narratio adumbratur, id quod fieri non poterat, nisi auctor rem iam exposuerat. Neque dubitari potest, quin auctor, si in opere suo retractato et perfecto semel hanc rem narravisset — qua de re mihi cum Steupio convenit —, in prooemium accuratam tyrannorum caedis narrationem transposuisset.

ticula *δέ* exspectamus. Deinde etiam illis participiis omnino non sunt apta (pro *δέ* scribere *δή* in animo esse potest), nam in participiis *νομίζων* et *οὐ πιστεύων* de rebus recte aut falso descriptis, in participio *ἡγησάμενος* autem de inventione harum rerum agitur. Qua de causa potius participium *ἡγησάμενος* participio *νομίζων* subiunctum esse exspectaremus, id quod factum non esse particula *δέ* demonstrat. Sed adest ex hac difficultate exitus. Verbis enim *ηὑρῆσθαι δὲ ἡγησάμενος κτλ.* contraria sunt verba antecedentia *ὄντα ἀνεξέλεγκτα καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ χρόνου* [*αὐτῶν*][1]) *ἀπίστως ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐκνενικηκότα.*[2]) Quod si e nostri sermonis usu exprimeremus, verba *ηὑρῆσθαι κτλ.* verbis *ὄντα ἀνεξέλεγκτα κτλ.* subiungeremus hunc in modum: „non errabit, qui res descriptas (*ἃ διῆλθον*) tales (quales descripsi in archaeologia) existimet, neque magis eas ita fuisse credat, ut poetae celebraverunt vel logographi narraverunt, quae res non probandae et temporis longitudine ad fabulam redactae sunt, cum illae ex apertissimis pro vetustate argumentis inventae sint." Thucydides vero e sententia subiuncta redit ad sententiam solutam vel potius participium solutum, quod coordinat prioribus participiis, eodem modo atque in capite X, 3 *ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι, ὅμως δὲ φαίνεται καὶ οὕτως ἐνδεεστέρα.* Particula *δέ* autem sicut in capite X *ὅμως δέ* pro nostra coniunctione subiungenti „cum" contrarias esse has sententias significat.

Verba *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος, καίπερ ἐν ᾧ μὲν ἂν πολεμῶσι τὸν παρόντα ἀεὶ μέγιστον κρινόντων, παυσαμένων δὲ τὰ ἀρχαῖα μᾶλλον θαυμαζόντων, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων σκοποῦσι δηλώσει ὅμως μείζων γεγενημένος αὐτῶν,* quae initio capitis XX respondere diximus, a Classeno non recte explicantur, qui hanc inesse putat sententiam: „mea (sc. Thucydidis) belli descriptio hominibus, qui e rebus ipsis iudicare cupiant, demonstrabit hoc bellum maius fuisse prioribus". Sed haec potius inest sententia: „hoc bellum ipsum hominibus, quicumque in res gestas

---

[1]) Herwerden Stahl Steup verbum *αὐτῶν* delent propter mirum verborum ordinem et inusitatam verborum *τὰ πολλὰ αὐτῶν* compositionem: „Aber, um von der auffälligen Wortstellung, die sich so ergeben würde, ganz abzusehen, findet sich bei Th. zu partitiven Appositionen sonst nirgend ein derartiger Genetiv hinzugefügt." Neque habeo causam, qua verbum *αὐτῶν* sustinere possem. Wilamowitz mihi addit verbum *αὐτῶν* eo irrepsisse posse, quod librarius sequens verbum *ἀπίστως* simili verbo falso duplicavisset.

[2]) Steup, qui recte contra Classenum haec verba ad *ξυνέθεσαν* neque ad *πιστεύων* adiungenda esse dicit, tamen non recte scribere mihi videtur: „*ὄντα ἀνεξέλεγκτα καὶ* . . . *ἐκνενικηκότα* dient dazu, das Verfahren der *λογογράφοι* bis zu einem gewissen Grade erklärlich erscheinen zu lassen." Non enim excusatio, sed accusatio logographorum, neque causa, sed affirmatio adversaria verbis *ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον* inest his verbis.

et non in commune iudicium animum advertere volunt, demonstrabit se maius fuisse prioribus". Horum hominum recte iudicantium est auctor ipse, ut hanc quoque sententiam substituere possimus: „hoc bellum maius fuisse prioribus mihi res gestas respicienti apparet". Falsam vero Classeni interpretationem effecit verbum *δηλώσει* indicativo futuri scriptum, quod hoc loco adaequat optativum cum particula *ἄν* coniunctum, casum potentialem qui dicitur *δηλοίη ἄν* (cf. Krüger Sprachl. § 53, 10 Anm. 4). Itaque cum auctor de suo belli iudicio e rebus gestis ducto agat, non miramur eum nullis iam sententiis intermissis statim de suis belli describendi rationibus explicare, neque cum Schwartzio desideramus sententiam „und diesen Krieg habe ich zu beschreiben unternommen", praesertim cum Thucydides hanc sententiam initio totius operis expresserit.

Explicationis insequentis duae sunt partes, quibus Thucydides de orationibus et de rebus gestis narrandis agit, quarum nos priorem de orationibus agentem alteri subiuncturos esse, ut eo melius sententiae „hoc bellum hominibus, qui me sequentes ad res gestas ipsas animum advertant, se maius fuisse prioribus demonstrabit" sententia „et has ipsas res gestas descripsi, cum orationes fingerem" se applicaret, mihi Wilamowitz addit. De orationibus haec exponit: primum difficile fuisse quamvis orationem iisdem tradere verbis quibus habita sit, deinde se eas quam maxime veritati verborum adaptatas tales scripsisse, quales sibi maxime convenientia viderentur tempori. De rebus gestis haec exponit: primum se non cuivis nuntio confidentem vel suam ipsius memoriam sequentem, sed omnes narrationes accuratissime perscrutatum scripsisse, deinde difficile fuisse veritatem cognoscere propter varios nuntios benevolentia odioque partium vel incerta memoria depravatos, denique se suam belli historiam, quae nonnullis dura neque iucunda videri posset, „zum Verständnis der Vergangenheit und zur Lehre für die Zukunft" et *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν* scripsisse.

Duorum capitis XXII locorum constructio difficilis est. In verbis *οἷς τε αὐτὸς παρῆν καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθών* recte Ullrich et Classen contra Krügerum *ἐπεξελθών* totius sententiae esse participium regens dicunt et huic participio arte adhaerere verba *ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου*, ubi *περὶ ἑκάστου* non cum Steupio ad *ἀκριβείᾳ*, sed ad *ἐπεξελθών* adiungendum est, ut haec fiat sententia: „quam maxima diligentia de singulis factis perscrutatus". Cum verbis *παρὰ τῶν ἄλλων* res contrarias verbis *οἷς αὐτὸς παρῆν* contineri necesse sit, Ullrich (Beitr. zur Erkl. des Thuk. p. 127 sq.), quem Steup (Anhang p. 353 sq.) sequitur, supplevit *τὰ παρὰ τῶν ἄλλων*. Contra hanc coniecturam Stahl recte dixit

mirum esse, si auctor verba *τὰ παρὰ τῶν ἄλλων* paulo post verbis *περὶ ἑκάστου*, ubi praepositio adsit, accuratius circumscripsisset. (Ubi quod Steup contra dicit *περὶ ἑκάστου* ad *ἀκριβείᾳ* adiungi posse, modo refutavimus.) Itaque cum iam insignem et miram brevitatem sermonis in verbis traditis adesse putarem, Wilamowitz mihi coniecturam attulit, quae probanda videtur: praepositionem *παρά* delendam esse, ut sit *οἷς τε αὐτὸς παρῆν καὶ τῶν ἄλλων περὶ ἑκάστου*. Porro verba *ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν καὶ τῶν μελλόντων αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι ὠφέλιμα κρίνειν αὐτὰ ἀρκούντως ἕξει* iam Krügero difficultatem maximam praebebant, qui verba *ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά* glossema esse existimavit, difficillimis quidem ipsis et gravissimis verbis deletis. Classen sic vertit: „es wird aber genügen, daß diejenigen, welche wünschen werden sichere Kenntnis zu gewinnen sowohl von den vergangenen Ereignissen, als von demjenigen, was sich nach dem Laufe menschlicher Dinge einmal so oder ähnlich wieder zutragen wird, mein Werk für nützlich anerkennen." Sed recte Krüger et Steup memorasse mihi videntur, verba *τὸ σαφὲς σκοπεῖν* non apta esse rebus futuris, qua de causa Steup priore Krügeri sententia repetita post verbum *ἔσεσθαι* nonnulla verba deesse coniecit. Mihi quidem difficultas solvi posse videtur eo, quod verba *ὠφέλιμα κρίνειν* ad *τῶν μελλόντων . . ἔσεσθαι*, verbum *αὐτά* autem ad *ἀρκούντως ἕξει* adiunguntur ut hunc habeamus sensum: „iis, qui utile rerum futurarum similium iudicium indicare volent, res a me descriptae satis facient." *ὠφέλιμα κρίνειν* pro *ὠφέλιμον κρίσιν κρίνειν* scriptum est similiter atque in libri V capite LXXIX, 3 *δικαιότατα κρίναντες* et in libri VI capite XXXIX, 1 *ἄριστα κρῖναι*, conectuntur verba *τῶν μελλόντων ὠφέλιμα* sicut antea verba *τῶν γενομένων τὸ σαφές*, *αὐτά* de rebus gestis in suo opere descriptis etiam supra in verbis *τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν* adhibet auctor.

Demonstravimus sententiis *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον* et *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος δηλώσει μείζων γεγενημένος αὐτῶν* additas esse explicationes inter se simillimas: explicatur enim et de rebus prioribus et de orationibus rebusque gestis belli Peloponnesiaci, qua de causa difficile fuerit veritatem cognoscere et quibus e rationibus Thucydides res a se descriptas invenerit; de rebus gestis belli Peloponnesiaci praeterea additur, quanti hoc Thucydidis opus aestimandum sit. In summis autem sententiis illis eadem dicuntur, quae in capitis I sententiis scripta erant his: *κίνησις αὕτη μεγίστη δὴ ἐγένετο* et *τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι.*

Exemplum habemus constructionis Thucydidis maxime propriae: sententiam ponit, deinde hanc longiore expositione, quae saepe par-

ticula *γάρ* affixa est, explicat. denique priorem sententiam iisdem vel similibus verbis repetit et colligit simul, quae longius explicaverat, quam repetitionem scholia *ἐπανάληψιν* nominant. Qua sermonis forma iam in omni oratione vulgari cotidiana archaica maxime usitata Thucydides summa cum arte usus est, et si in hanc formam animum advertimus, saepe compositionem operis cognoscere possumus. Exemplum clarissimum est hoc: verba capitis XXIII, 5 *διότι δ'ἔλυσαν, τὰς αἰτίας προύγραψα πρῶτον καὶ τὰς διαφοράς* Thucydides, postquam libro I causas belli narravit, capite CXLVI repetit *αἰτίαι δὲ αὗται καὶ διαφοραὶ ἐγένοντο ἀμφοτέροις πρὸ τοῦ πολέμου*, ut se causis explicatis ad ipsum bellum describendum transgredi aperte demonstret. Capitum I et XX—XXII loci duplex continent exemplum: primum bellum Peloponnesiacum maximum fuisse repetitur, postquam priora non fuisse magna intermissum est; deinde etiam hoc, priora non fuisse magna, repetitur intermissa archaeologia.

Post caput XXII nihil iam aliud e prooemii compositione adhuc cognita exspectamus quam belli Peloponnesiaci descriptionem, cum inculcatur caput XXIII [1]).

III. De capite XXIII.

Capite XXIII primum bellum Peloponnesiacum cum bello Persarum comparatur et e numero et longitudine et magnitudine laborum demonstratur bellum Peloponnesiacum maius illo fuisse. Deinde a paragrapho 4 pronuntiatio descriptionis causarum belli, quae libro I continetur, sequitur.

De huius capitis cum capite XXII conexu diversae sunt virorum doctorum sententiae. Krüger et Classen caput XXIII ad finem capitis XXI *δηλώσει μείζων γεγενημένος αὐτῶν* adiungendum esse putant, cum Krüger caput XXII non recto loco interiectum esse, Classen particulam *δέ* initio capitis XXIII pro particula *γάρ*, cum caput XXII intercederet, scriptam esse explicant. Itaque cum iam huic interpretationi difficultates insint apud interpretes ipsos, accedit, quod nullum iam post caput XXII additamentum exspectari diximus. Praeterea mirum est, cum iam in archaeologiae capitibus XVIII et XIX de bello Persarum actum sit, iterum hanc comparationem interiectam esse. Quam difficultatem solvere conati sunt Herbst et Steup, qui archaeologia non nisi de rebus ante bellum Persarum gestis agi existimaverunt et capita XVIII et XIX archaeologiae eximere voluerunt, qua de re infra disserendum erit. Sed hac de causa ambo

[1]) cf. Ćwikliński l. l. p. 24.

verba capitis I *τὰ πρὸ αὐτῶν* corrupta esse putant, cuius sententiae nullam esse causam supra in p. 12 e Köhleri interpretatione demonstravimus; et bellum Persarum quoque in archaeologia commemorari necesse est. Rectam vero invenit interpretationem Ćwikliński l. l. p. 23 sq., qui caput XXIII ad prooemium, quod capitibus I—XXII continetur, non pertinere dixit. Sed caput XXIII esse brevius prooemium, scriptum, priusquam Thucydides magnum prooemium, quod archaeologiam continet, conceperit, itaque etiam aptum huius capitis cum prioribus conexum non inveniri. Quam sententiam omnino probo, tamen non probo primam capitis I partem cum capite XXIII coniunctam fuisse, cum Ćwiklińskii sententiam, qua in capite I sententiarum conexum desiderabat, agnoscere non possim, tamen similem sententiam atque capitis I initium etiam in priore prooemio fuisse verisimile est. Ceterum ad caput XXIII etiam in capitum XVIII et XIX interpretatione revertendum erit.

B. De archaeologiae compositione.

I. *τὰ ἔτι παλαίτερα* (c. II—XII).

a) De antiquissima ante bellum Troicum aetate (c. II—III, 4).

Initio capitis II Thucydides dicit, non ab antiquissimis temporibus Graecos firmis uti sedibus, sed saepe illis temporibus migravisse, imprimis exiguas gentes a maioribus oppressas agros suos reliquisse. Steup verbis *μεταναστάσεις τε οὖσαι τὸ πρότερον καὶ ῥᾳδίως ἕκαστοι τὴν ἑαυτῶν ἀπολείποντες* voluntarias et invitas migrationes distinctas esse putat, id quod nullo modo e verbis ipsis apparet. Sed potius cum particulis *τὲ — καί* saepe duae eiusmodi sententiae conexae sint, quarum prior generale aliquid, secunda speciale et notabile, quod priore comprehenditur, exprimat, etiam hoc loco e toto omnium commigrationum numero, qui verbis *μεταναστάσεις τε οὖσαι τὸ πρότερον* significatur, invitas illas verbis *καὶ ῥᾳδίως ἕκαστοι τὴν ἑαυτῶν ἀπολείποντες βιαζόμενοι ὑπό τινων αἰεὶ πλειόνων* praecipue adnotari concludendum est[1]. Paragrapho 2 illius

[1] alia huius particularum *τὲ — καί* usus exempla e prooemio collegi haec:
I, 1 *μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων,*
II, 2 *νεμόμενοί τε τὰ ἑαυτῶν ὅσον ἀποζῆν καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες οὐδὲ γῆν φυτεύοντες,*
III, 2 *κατὰ ἔθνη ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἐπὶ πλεῖστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχεσθαι,*
XIII, 6 *ἄλλας τε τῶν νήσων ὑπηκόους ἐποιήσατο καὶ Ῥήνειαν ἑλὼν ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δηλίῳ,*

aetatis res, quibus migrationes fieri poterant, exponuntur. Verborum enim *ῥᾳδίως ἀπολείποντες* repetitio sunt verba *οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο*, his autem subiuncta sunt quattuor vel potius, cum secundum et tertium artissime cohaereant, tria participia *νεμόμενοί τε τὰ ἑαυτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες οὐδὲ γῆν φυτεύοντες . . . τῆς τε καθ' ἡμέραν ἀναγκαίου τροφῆς πανταχοῦ ἂν ἡγούμενοι ἐπικρατεῖν*, quorum priora duo participia particulis *τὲ—καί* similiter atque antea conexa sunt, ut secundum participium res speciales et notabiles neget, quae prioris participii affirmatione iam negatae erant; tertium participium prioribus duobus contrarium particula *τέ* additum damno non gravi illic exposito spem facilis recuperationis opponit. Prioribus duobus autem participiis subiuncta sunt non solum verba *ἄδηλον ὂν ὁπότε τις ἐπελθὼν καὶ ἀτειχίστων ἅμα ὄντων ἄλλος ἀφαιρήσεται*, id quod nemo negabit [1], sed etiam verba huius paragraphi prima *τῆς ἐμπορίας οὐκ οὔσης οὐδ' ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις οὔτε κατὰ γῆν οὔτε διὰ θαλάσσης*, quibus posteriorum aetatum condiciones — recte enim interpretatur Classen „der jetzt vorhandene Handelsverkehr“ — illis temporibus nondum exstitisse auctor dicit. Non recte autem existimat Classen haec verba participiis *νεμόμενοί τε κτλ.* coordinata esse et particulam *τέ* non insequenti *καί* respondere, sed *νεμόμενοι κτλ.* cum prioribus verbis coniungere. Nam cum participia *νεμόμενοι κτλ.* verborum *οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο* causas afferant, id quod iam supra diximus, verba *τῆς ἐμπορίας κτλ.* non verborum *οὐ χαλεπῶς ἀπανίσταντο* causas afferunt, neque enim habebis bonam sententiam, cum dices: „quia neque commercium neque tutos aditus habebant, facile migraverunt“. Sed verba *τῆς ἐμπορίας κτλ.* participiis *νεμόμενοι κτλ.* anteposita sunt, ne quis posteriorum aetatum condiciones in antiquissima illa tempora adhibeat, id quod sic vertendum est: „nullo commercio nullo tuto hominum terrestri vel maritimo usu cum agros facile amitterent et recuperarent, saepe migraverunt“. Postquam de commigrationibus

---

XVI *ἐπεγένετο δὲ ἄλλοις τε ἄλλοθι κωλύματα μὴ αὐξηθῆναι καὶ Ἴωσι προχωρησάντων ἐπὶ μέγα τῶν πραγμάτων Κῦρος καὶ ἡ Περσικὴ βασιλεία κτλ.*

[1]) Dubium esse potest, utrum genetivus absolutus *ἀτειχίστων ἅμα ὄντων* secundum Krügeri sententiam participio *ἐπελθών* coordinandus sit an secundum Classenum Steupium ita subiungendus sit, ut particula *καὶ—ἅμα* similem significationem habeat particulae *ἄλλως τε καί*. Posterior sententia probanda est. Nam primum, si illam priorem sequimur, concludi potest, nonnullas gentes etiam muros habuisse, cum *ἀτειχίστων ὄντων* non minus atque *ἐπελθών* condicio verbi *ἀφαιρήσεται* esset, in posteriore autem *ἀτειχίστων ὄντων* causam generalem totius sententiae *ἐπελθών τις ἀφαιρήσεται* continet et omnino non muros fuisse apparet. Deinde Classen huius particulae *καὶ—ἅμα* usus exemplum locum capitis IX, 3 *καὶ ναυτικῷ τε ἅμα ἰσχύσας* et alia loca, quae quidem non aequam vim habent, attulit. cf. infra p. 32 adn. 3.

satis exposuit, auctor propter eas Graecos illa aetate non multum valuisse dicit: *καὶ δι' αὐτὸ οὔτε μεγέθει πόλεων ἴσχυον οὔτε τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ*. Sententia haec est gravissima totius capitis II, cum id, quod auctor de omnibus rebus ante bellum Peloponnesiacum gestis probare voluit, eas magnas non fuisse, hic de antiquissimis temporibus affirmetur. Quam sententiam paragraphis insequentibus accuratius circumscribit, cum in optimo quoque agro plurimas fuisse incolarum commutationes exponit, quae interna seditione et externo hostium impetu orerentur. Cuius iterum rei argumentum affertur, quod Attica non tam fertilis eosdem semper incolas habuerit[1]).

Sequuntur verba paragraphi 6 difficilia: *καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου οὐκ ἐλάχιστόν ἐστι διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι· ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι ὡς βέβαιον ὂν ἀνεχώρουν καὶ πολῖται γιγνόμενοι εὐθὺς ἀπὸ παλαιοῦ μείζω ἔτι*[2]) *ἐποίησαν πλήθει ἀνθρώπων τὴν πόλιν ὥστε καὶ ἐς Ἰωνίαν ὕστερον ὡς οὐχ ἱκανῆς οὔσης τῆς Ἀττικῆς ἀποικίας ἐξέπεμψαν*. Tres invenimus horum verborum interpretationes. Primum scholia dicunt haec: *ὁ νοῦς· οἱ μὲν οὕτω·* (sequitur interpretatio inepta) *ἄλλοι δὲ οὕτω· σημεῖον δέ μοι παντὸς τοῦ προειρημένου λόγου τοῦ τὰς ἀρίστας τῶν γαιῶν μεταβάλλειν τοὺς οἰκήτορας, τὸ τὴν Ἑλλάδα κατὰ τὰ ἄλλα αὐτῆς μέρη μὴ ὁμοίως τῇ Ἀττικῇ αὐξηθῆναι τῷ πλήθει τῶν ἀνδρῶν*. Quae interpretatio est bona. Nam cum Thucydides de re quadam agat quae ad ceteras partes non ita aucta sit quam ad unam quandam partem antea memoratam, recte scholiasta exponit de Graecia agi, cuius ceterae partes non aeque auctae essent atque Attica. Hoc esse argumentum eius sententiae (*τοῦ λόγου*), quam modo de commigrationibus per ceteram Graeciam usitatis auctor protulerit. Itaque sententia subsequenti *ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος κτλ.* explicatur, quomodo fieri potuerit, ut ceteris regionibus non crescentibus Attica augeretur. Una restat difficultas verborum *διὰ τὰς μετοικίας*, neque enim scimus neque exponit scholiasta, quis quocum una habitaverit. Secunda interpretatio est Krügeri, qui cum demonstrativum *τόδε* — quo scholiasta infinitivum subsequentem significari voluit (cf. Krüger Sprachl. § 57, 10 Anm. 6 et 7) — ad sententiam antecedentem *τὴν γοῦν Ἀττικὴν κτλ.* referat, infinitivum *διὰ τὰς μετοι-*

---

[1]) Recte Classen dicit, hoc loco particulam *γοῦν* argumentum significare. Similiter in capite X, 4 e contrario argumentum particula *γοῦν* affertur: *δηλοῖ ὡς ἐμοὶ δοκεῖ τὰς μεγίστας καὶ ἐλαχίστας· ἄλλων γοῦν μεγέθους πέρι ἐν νεῶν καταλόγῳ οὐκ ἐμνήσθη*. Capite XX autem particula *γοῦν* exemplum additur.

[2]) Recte Herwerden et Croiset dicunt, verbis *ἔτι μείζω* exponi Atticam hac exsulum accessione maiorem factam esse quam stabilitate incolarum iam fuisset. Id quod facillime a lectore intellegitur, neque sunt aptae Steupii dubitationes.

κίας αὐξηθῆναι autem continere *τὸν λόγον*, qui probetur, existimet, hanc postulat sententiam: „Atticae incolarum stabilitas argumentum est, quo Graeciae ceteras partes propter migrationes non aeque auctas esse demonstretur.“ Cui interpretationi repugnat, quod modo cognovimus, sententiam *τὴν γοῦν Ἀττικὴν κτλ.* argumentum esse sententiae antecedentis, qua ceteras regiones plerasque habuisse migrationes expositum erat; non igitur alterius rei praeterea argumentum esse potest. Porro verba *διὰ τὰς μετοικίας* de commigrationibus intellegere voluit Krüger, quasi scriptum esset *μετοικήσεις*, quae significatio verbi *μετοικία* singularis esset. Tertiam interpretationem protulit Ullrich (Beitr. zur Erkl. des Thuk. p. 174 sqq.), quem sequuntur Classen Steup Stahl Hude. Is demonstrativo *τόδε* significari sententiam *ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος κτλ.* putavit, quae sententia argumentum sit *τοῦ λόγου διὰ τὰς μετοικίας ἐς τὰ ἄλλα μὴ ὁμοίως αὐξηθῆναι*, hunc infinitivum autem repetere sententiam supra scriptam, migrationibus Graeciam debilitatam esse praeter Atticam. Sed duae huic interpretationi obstant offensiones: primum mirum esse mihi videtur, non magis perspicuo ordine Thucydidem has sententias protulisse in hunc fere modum: *ἐς τὰ δ᾽οὖν ἄλλα ἡ Ἑλλὰς οὐχ ὁμοίως ηὐξήθη καὶ παράδειγμα τόδε τοῦ λόγου· ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος κτλ.*, deinde sententia *ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος κτλ.*, qua quomodo ceteris deficientibus Attica creverit narratur, non argumentum, sed explicatio tantum esse potest infinitivi, quo ceteras Graeciae partes non aeque atque Atticam esse auctas affirmatur. Quam cum Ullrichii interpretationem agnoscere non possimus, tamen optime emendavit verba *διὰ τὰς μετοικίας*, cum pro *μετοικίας ἐς* scripsit *μετοικήσεις*, qua emendatione optime *τὰ ἄλλα* fit subiectum infinitivi sensu non mutato quidem, sed magis perspicuo. Agnoscimus igitur cum Ullrichii emendatione scholiastae interpretationem: multarum per ceteras Graeciae regiones praeter Atticam commigrationum argumentum esse, has regiones non tantopere auctas esse quam Atticam, quae res eo explicatur, quod e seditiosis regionibus multi incolae in Atticae tranquillitatem transmigrarent.

Capitis II summam esse hanc cognovimus: propter migrationes Graecia antiquissimis temporibus infirma et debilis erat.

Huius infirmitatis rerum priscarum capite III auctor affert argumentum: *δηλοῖ δέ μοι καὶ τόδε τῶν παλαιῶν ἀσθένειαν οὐχ ἥκιστα.* Ubi haereat fortasse aliquis in particula *καί*, ex qua apparere videatur iam antea ab auctore aliud argumentum allatum esse; sed cum in capite II nullum infirmitatis argumentum allatum sit — quod allatum est, est argumentum commigrationum —, videmus hoc loco auctorem aliis argumentis minoribus, quae in animo esse possunt, praeteritis

hoc unum particula *καί* extollere[1], ut hanc sententiam supplere possimus: „comprobat mihi praeter alia quae omittam etiam hoc rerum priscarum infirmitatem“. Hoc argumentum est bipertitum, ita tamen duae partes inter se coniunctae sunt, ut pars posterior affirmatio sit partis prioris gravioris: primum enim Graecos ante bellum Troicum opus commune non peregisse, deinde iis etiam nomen commune non fuisse Thucydides dicit. Et eo quoque differunt duae sententiae, ut prima rem inter omnes certam, secunda ipsius auctoris propriam opinionem contineat, id quod verbis *φαίνεται* et *δοκεῖ μοι* demonstratur[2]). Consentaneum igitur est auctorem secundam partem amplius explicare et probare hoc modo: postquam suam sententiam, qua Graecos commune nomen nondum habuisse dicit, verbo finito *εἶχεν* verbis *δοκεῖ δέ μοι* coordinavit, longiorem explicationem quam addit his verbis *δοκεῖ δέ μοι* infinitivo subiungit, qua explicat, quomodo communis nominis ortus factus esse sibi videatur; qua in Graecorum nominis origine describenda duas iterum secernit aetates, primam ante Hellenem, qua singulae singula nomina habuerint gentes, alteram Hellenis filiorumque aetatem, qua societate et usu singulae paulatim gentes *Ἕλληνες* appellatae sint. Tum ad verbi finiti constructionem redit sententia *οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἐδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι*, cuius subiectum vel cum scholiis *τοὔνομα τοῦτο* vel cum Krügero et Classeno *τὸ καλεῖσθαι Ἕλληνας* facile supplebis. Sed hanc sententiam infinitivis antecedentibus parem ponentes — van der Mey *ἐδύνατο* delere voluit — editores non recte fecisse mihi videntur. Nam si post verba *καθ' ἑκάστους μὲν ἤδη τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι Ἕλληνας* eadem expositione pergere vellet auctor, infinitivo pergeret et particulae *μέν* responderet *δέ*, quod deest. Cum vero responsionem omittat et verbo finito pergat, ipse suum sententiarum filum interrumpit et pro coniecturis, quibus quomodo Graecorum nomen exstiterit narrat, rem ex observatione rerum memoriae traditarum probandam proponit: per longum tempus nomen commune vincere non potuit. Id quod eo probat, quod apud Homerum, qui multo post Troicum bellum vixerit[3]),

[1]) Hunc particulae *καί* usum memorat Krüger Sprachl. § 69, 32 Anm. 12.

[2]) Simile discrimen est inter capitis II initium, ubi verbis *φαίνεται γάρ* res omnibus cognitae exponuntur, et capitis III initium, ubi harum rerum cognitarum argumentum ab auctore inventum verbis *δηλοῖ δέ μοι* significatur.

[3]) Ad verba *πολλῷ γὰρ ὕστερον ἔτι καὶ τῶν Τρωικῶν γενόμενος* scholia citant et probant variam lectionem *ὕστερος*. Quam omnes editores refutant Krügerum sequentes, qui affert legem Sprachl. § 57, 5 Anm. 3 scriptam: „Ordinale Adjektive . . . bezeichnen, prädikativ angefügt, die Ordnung, in der dieselbe Handlung unter mehreren Begriffen dem genannten zukommt, während die entsprechenden Adverbia . . . die Ordnung bestimmen, in der unter mehreren Handlungen desselben Subjekts die erwähnte erfolgt ist.“ Sed ex hac lege ipsa *ὕστερος* scri-

non de universis Graecis, sed de Pthiotis tantum hoc nomen adhibeatur [1]. Et hoc ex Homero argumentum non tam ad illam sententiam *οὐδὲ τοὔνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν* (sc. *πρὸ τῶν Τρωικῶν*) comprobandam, quo trahere voluit Classen, quam ad haec ipsa verba *οὐ μέντοι πολλοῦ γε χρόνου ἐδύνατο καὶ ἅπασιν ἐκνικῆσαι* allatum esse mihi videtur.

Paragrapho 4 repetit et colligit Thucydides, quae adhuc in capite III explicavit: *οἱ δ᾽οὖν ὡς ἕκαστοι Ἕλληνες κατὰ πόλεις τε ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν καὶ ξύμπαντες ὕστερον κληθέντες οὐδὲν πρὸ τῶν Τρωικῶν δι᾽ ἀσθένειαν καὶ ἀμειξίαν ἀλλήλων ἀθρόοι ἔπραξαν.* Recte etiam scholia haec verba *ἐπανάληψιν* appellant neque recte Schwartz l. l. p. 206 sq. vituperat, priores sententias iisdem fere verbis repeti; nam huiusmodi repetitiones Thucydidis proprias esse iam supra p. 17 sq. memoravimus. Sed verba ipsa difficultatem praebent. Recte enim in vulgari interpretatione, qua Krüger Classen alii verba *κατὰ πόλεις τε . . . καὶ ξύμπαντες* appositiones esse verbi *ὡς ἕκαστοι* dicunt, Steup offendit (Anhang p. 328), cum verbum *ξύμπαντες* verbo *ὡς ἕκαστοι* contineri non possit (alia argumenta a Steupio allata non sunt graviora). Sed cum etiam id, quod Steup inde concluserat, verba *κατὰ πόλεις τε ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν καὶ ξύμπαντες ὕστερον* glossema esse, minime iucundum sit, Dobreei interpretatio accipienda est, qui verba *ὡς ἕκαστοι κατὰ πόλεις τε ὅσοι ἀλλήλων ξυνίεσαν* artissime coniunxit — nam quod Steup contra dixit verba *ὡς ἕκαστοι* et *κατὰ πόλεις* pleonasmum efficere, non rectum est, sed optime alterum altero completur —, et hic locus sic vertendus est: „ii, qui singuli singulas per civitates et postea universi appellabantur Graeci, nihil commune gesserunt“. Praeter caput III autem etiam capitis II summam repetit Thucydides verbis *δι᾽ ἀσθένειαν καὶ ἀμειξίαν ἀλλήλων.* Atque hic aliam invenimus difficultatem. Nam Thucydides cum initio capitis III, quod bella communia a Graecis gesta non sint, argumentum debilitatis rerum priscarum capite II expositae afferat, in repetitione debilitatem rerum priscarum causam tantum adscribit, de qua bella communia gesta non sint. Itaque cum sententia ipsa et repetitio discrepare videantur, quaerimus, utrum Thucydides ad condiciones e

---

bendum est et Krüger falso concludit. Ceterum eandem constructionem in prooemio etiam invenimus in capite XIV, 1 *ταῦτα πολλαῖς γενεαῖς ὕστερα γενόμενα τῶν Τρωικῶν.*

[1] Necesse esse mihi videtur verbis *οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν οὐδ᾽ ἄλλους ἢ τοὺς μετ᾽ Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος* cum Reiskio et Hudio *οὕτως* (vel cum A. Matthiae *Ἕλληνας*) addere. Auctori enim in animo est: Homerum nusquam universos Graecos *Ἕλληνας* appellavisse, neque vero: eum Pthiotas solos nomine appellavisse.

potestates antiquissimae aetatis illustrandas bella non gesta esse[1]) an ad bella non gesta illustranda infirmitatem rerum priscarum memoraverit. Hoc posterius Thucydidem in animo habuisse cognoscimus e duabus rebus. Primum enim e capite I intellegimus Thucydidem imprimis bella priora non magna fuisse archaeologia probare velle; deinde ea sententia, quae secundam archaeologiae partem incipit (III, 5) et nostrae repetitioni respondet, statim in nova aetate bellum praeponit. Itaque etiam Thucydides argumentum capitis III non ut res antecedentes probet, sed rei ipsius causa affert, debilitatem rerum priscarum autem etiam in capite II propter bella non gesta memorat. Est haec sermonis forma saepius apud scriptores omnis generis usitata: ad aliquam rem describendam vel narrandam haec res ipsa argumentum vel exemplum rerum antea dictarum affertur, quae res iterum illam rem gravissimam illustrant vel eius causae sunt. Cum exemplum in libro scriptum non reppererim, fabulam Germanica lingua inveni hanc: „Es war eine Zeit, als die Tiere noch reden konnten. Dafür haben wir einen deutlichen Beweis in folgender Geschichte“: sequitur fabula, quam nos propterea narrare apparet, quod fabulam ipsam narrare nostra interest neque quod animalia loqui potuisse probare volumus. Itaque etiam finem fabulae hunc scriberemus: „so war also diese Geschichte, sie konnte aber deshalb sich ereignen (der Held konnte nur deshalb gerettet werden oder dgl.), weil die Tiere damals noch reden konnten“. Eodem modo etiam archaeologiae prima pars exstructa est: „Graecia debilis erat. Cuius rei maximum argumentum est, Graecos non commune bellum gessisse . . . Graeci non bellum commune gesserunt propter debilitatem.“

b) De belli Troici aetate (c. III, 5—XII).

Ad novam archaeologiae partem transit Thucydides verbis capitis III extremis: *ἀλλὰ καὶ ταύτην τὴν στρατείαν θαλάσσῃ ἤδη πλείω χρώμενοι ξυνῆλθον.* Quam sententiam contrariam esse apparet repetitioni partis primae antecedenti; discimus enim e verbis *θαλάσσῃ ἤδη πλείω χρώμενοι ξυνῆλθον*, Graecos cum antea propter debilitatem non convenissent, tum longiore usu maritimo convenisse. Difficultates autem praebent verba *καὶ ταύτην τὴν στρατείαν.* Nam primum

[2]) Id quod Schwartzio per totam archaeologiam reprehendendum esse videbatur, cum scribit l. l. p. 216: „Die Kriege sind Nebensache, dienen nur zur Illustration der Machtverhältnisse“. Sed cognoscemus, per totam archaeologiam potestatum descriptiones ad bella illustranda afferri.

verbo *ξυνελθεῖν* accusativum adiungi nullo alio loco invenimus neque satis explicari potest; qua de causa vel scholiorum coniectura accipienda est, quae dicunt: *δεῖ δὲ προσθεῖναι τὴν εἰς, οἷον· ἀλλὰ καὶ εἰς ταύτην τὴν στρατείαν ξυνῆλθον*, vel cum Classeno et Cobeto *ξυν⟨εξ⟩ῆλθον* scribendum est. Deinde particulam *καὶ* difficillimam esse intellectu iam Schwartz l. l. p. 207 monuit, cum alia, ad quae antea convenerint Graeci bella neque memorentur neque cogitari possint. Sed recte mihi videtur Wilamowitz loco paulo infra memorando particulam *καί* ad totam sententiam referre, ut hoc expressum sit: „Dazu kommt, daß sie diesen Zug erst gemeinsam unternahmen, als sie schon einigermaßen mit der See vertraut waren“; nam cum antea de antiquissimorum temporum debilitate egerit, nunc de belli Troici quoque debilitate aget; sed non dicit: „haec quoque expeditio non ita magna fuit neque prius suscipi poterat, quam Graeci maris peritiores facti erant“, sed anacolutho quodam: „haec quoque expeditio non prius suscipi poterat, quam mari peritiores facti essent“.

Ad verba *θαλάσσῃ ἤδη πλείω χρώμενοι* explicanda Thucydides inde a capite IV usque ad capitis VIII paragraphum 3 de navigationis et commercii apud Graecos origine agit. Quid sibi de huius partis compositione videatur, nuperrime exposuit U. de Wilamowitz-Moellendorff in Hermae tomo XLV (1910) p. 394 sqq., cuius sententiam magna ex parte non nisi repetere et nonnumquam pauca addere possum, nonnullis autem etiam de rebus dissentio. Thucydides incipit explicationem verbis capitis IV his: *Μίνως γὰρ παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν ναυτικὸν ἐκτήσατο καὶ τῆς νῦν Ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησε*[1]) *καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἦρξέ τε καὶ οἰκιστὴς πρῶτος τῶν πλείστων ἐγένετο, Κᾶρας ἐξελάσας καὶ τοὺς ἑαυτοῦ παῖδας ἡγεμόνας ἐγκαταστήσας· τό τε λῃστικὸν ὡς εἰκὸς καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης ἐφ' ὅσον ἐδύνατο τοῦ τὰς προσόδους μᾶλλον ἰέναι αὐτῷ.* Quattuor res, classis institutio, maris imperium, insularum expugnatio coloniarumque deductio, piratarum exactio, ita narrantur, ut posterior quaeque res ex antecedenti oriatur, id quod bene cognoscimus, si quas auctor coordinavit sententias una sententia comprehendimus hoc modo: „Minos classe parata cum mari potitus in Cyclades colonias deduceret, propter vectigalia piratas sustulit“. Gravissimam sententiam, qua piratarum expulsionem protulit, ceteris sententiis Thucydides addit particula *τέ*, qua saepius rem praecipue notabilem expositioni ante-

[1]) Supervacaneum est cum Steupio difficilem verborum *ἐπὶ πλεῖστον τῆς Ἑλληνικῆς θαλάσσης* conexum exstruere, cum simplex constructio etiam a Classeno accepta ea sit, qua *τῆς θαλάσσης* e verbo *ἐκράτησε* pendeat et *ἐπὶ πλεῖστον* adverbii in modum addatur.

cedenti adiungit[1]). Priora igitur tria Minois opera quasi fundamenta sunt, e quibus maximum opus suum piratarum expulsionem perfecerit. Steup quod Cares, qui ex insulis pellebantur, et piratas, qui e mari tollebantur, eosdem esse putavit, verba *καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων — ἐγκαταστήσας* postea inserta esse putat. Sed hoc loco nondum etiam Cares piratas fuisse memoratur, id quod continet caput VIII, 1, et piratae, quorum de expulsione hic agitur, non solum Cares erant[2]).

Sequitur deinde ad haec de expulsione piratarum verba explicanda longior de prisca ante Minoem piratica expositio, ad quam postea reverti liceat. Nunc transeamus ad caput VIII, 2, ubi sententiarum filum post caput IV intermissum resumit Thucydides, id quod etiam scholia adnotant ad verba *καταστάντος δὲ τοῦ Μίνω ναυτικοῦ: τὸ σχῆμα ἐπανάληψις*. Cum hac repetitione autem statim novam sententiam coniungit: Minois operibus navigationem et commercium per mare facilius et tutius factum esse: *πλωϊμώτερα ἐγένετο παρ' ἀλλήλους*. Quam sententiam explicat duabus rebus particula *γάρ* additis: primum piratas insularum incolas pulsos esse — quae verba non recte pro parenthesi habere mihi videntur viri docti, sed omnino coordinata sunt subsequentibus —, deinde homines prope mare in continente habitantes e firmis sedibus commercium egisse[3]). Eorum igitur hominum, quos antea omnes piratas fuisse capite V narratum est, pars ex insulis pulsi, pars e piratica ad quietam vivendi rationem redacti sunt. Prior huius explicationis pars continet repetitionem fere capitis IV, id quod auctori in animo fuisse verba *ὅτε περ καὶ τὰς πολλὰς αὐτῶν κατῴκιζε* demonstrant, altera pars novam sententiam affert, quam, nisi longa de piratica explicatio intervenisset, post caput IV similiter scriptam invenire possemus. Ad hanc sententiam, qua homines prope mare habitantes commercium maius habuisse et firmis sedibus usos esse affirmat, addit nonnullorum oppidorum incolas, cum magis quam antea divitiis fruerentur, muros

---

[1]) Huius particulae *τέ* usus, quem usque ad Plutarchum saepe inveniri Wilamowitz mihi affirmat, aliud exemplum e prooemio adscribam hoc: XIII, 1 *ναυτικά τε ἐξηρτύετο ἡ Ἑλλάς*. Ceterum conferas Krügeri adnotationem ad h. l. et Sprachl. § 69, 59 Anm. 1. Non omnino recta est Classeni adnotatio, qui consecutionem particula *τέ* addi putavit.

[2]) Aliud etiam suae sententiae argumentum affert Steup, verba *παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν* ad verba *ἐκτήσατο* et *ἐκράτησε* pertinere neque ad verbum *ἦρξε*, itaque hanc tertiam partem non arte cum antecedentibus duabus cohaerere. Id quod non solum minime grave est, sed etiam non rectum, cum verba *παλαίτατος ὧν ἀκοῇ ἴσμεν* non nisi ad *ναυτικὸν ἐκτήσατο* pertineant.

[3]) Recte adnotavit Classen ad verba *μᾶλλον ἤδη . . . βεβαιότερον ᾤκουν*; „der Sache wie dem Ausdruck nach in bestimmtem Gegensatze zu c. 2, 2.“

sibi aedificavisse; et hoc additamentum iterum eo explicat, quod quae inter potentiora et debiliora oppida ratio exstiterit narrat.

Revertamur ad illam de prisca piratica explicationem. Capitis V paragraphis 1 et 2 Thucydides exponit primum maris Aegaei accolas, cum navibus aliquamdiu iam usi essent, ad piraticam se vertisse propter quaestum et victum ducibus viris potentissimis, deinde eos oppida, quae illis temporibus nondum munita erant, expilavisse plurimumque sibi victum paravisse. Describit igitur Thucydides piraticam primum ut ita dicam *κατὰ δύναμιν* deinde *κατ' ἐνέργειαν*. Eo enim differuntur hae duae sententiae, quae inter se similes sunt, quod prior quibus condicionibus auctoribus causis Graeci et barbari consilium pirandi ceperint, secunda quo modo et quo successu hoc consilium exegerint narrat. Addit porro Thucydides, non infamiae iis fuisse hoc negotium, id quod probat duobus argumentis, usu piratico suis quoque temporibus [1]) apud nonnullas gentes continentales servato et poetarum testimonio. Agit Thucydides his duobus paragraphis de piratica ad explicanda ut memoravi verba *τὸ ληστικὸν καθῄρει ἐκ τῆς θαλάσσης*. Piratae erant autem Graeci, quorum de iis tantum, qui prope mare habitabant, cogitatum esse verba *ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους* docent, et barbari, qui in insulis et in oris Asiae habitabant. Cognovit enim de Wilamowitz, verbo *ἡ ἤπειρος* Asiam significatam esse, quam significationem etiam scholia memorant, et eodem modo *τοὺς ἠπειρώτας*, qui testimonii causa in paragrapho 2 afferuntur, incolas Asiae esse, cum in paragrapho 3 *ἤπειρος* articulo carens de quavis continente adhibeatur.

Ad hanc priscae piraticae expositionem Thucydides adnectit continentalis latrocinii memorationem, qua a re ipsa paulo aberrat. Qui excursus sic exstructus est: primum etiam in continente latrocinium fuisse dicit; ad quod statim argumentum adiungit, etiam suis temporibus in media Graecia gentes continentales latrocinari; et huic argumento addit unam rem insignem, has gentes e prisco latrocinio gladios secum ferre: cui iterum addit ad verba *ἐκ τῆς παλαιᾶς λῃστείας* explicanda, priscis temporibus omnes Graecos arma secum tulisse ut suis temporibus barbaros. Deinde earum gentium morem etiam sua aetate exstantem argumentum esse vulgaris priscae consuetudinis dicit, quam sententiam artissime ad illud argumentum latrocinii continentalis se applicare apparet. Tum sequitur de vestitu

[1]) Auctore Reiskio, qui verba *ἔτι καὶ νῦν* post *οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν* transponere voluit, Steup verba *ἔτι καὶ νῦν*, quamquam recto loco posita essent, ad verba *οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν* arte adiungenda esse putavit. Sed optime verbis *δηλοῦσι δὲ τῶν ἠπειρωτῶν τινες* adduntur, cum Thucydides etiam suo tempore hoc argumentum priscae piraticae exstare affirmet.

Graeco excursus, quem ad illa de armis gestis verba se applicare apparet. Recte de Wilamowitz nobis alium sententiarum ordinem meliorem videri posse dicit, cum post verba *καὶ μέχρι τοῦδε πολλὰ τῆς Ἑλλάδος τῷ παλαιῷ τρόπῳ νέμεται — τὴν ταύτῃ ἤπειρον* statim verba *σημεῖον δ' ἐστι ταῦτα τῆς Ἑλλάδος ἔτι οὕτω νεμόμενα τῶν ποτε καὶ ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων* subsequerentur, deinde autem de armis gestis digressio, ad quam optime de vestitu excursus statim se applicaret. Sed auctorem nos sequi opus est, cui tam arte de armis gestis digressio ad latrocinii in media Graecia usitati memorationem addenda esse videbatur, ut ceterarum sententiarum concinnitatem neglegi posse existimaret. In Steupii autem singulas huius loci reprehensiones (Anhang p. 329 sq.) animum advertere opus non est, cum variam verbi *ἠπειρῶτης* significationem, cum modo de hominibus ad oram maritimam habitantibus, quos alias *παραθαλασσίους* Thucydides appellat, modo de hominibus in interiore continente habitantibus dictum esse velit, et verbi *λῃστεία κατ' ἤπειρον* interpretationem, quod de latrocinio maritimo ex oris gesto adhiberi putat, cum E. C. Marchantio (Classical Review XII (1898) p. 259[b]) a primo refutare debeamus. Item Schwartzii reprehensiones (l. l. p. 210 sq.) singillatim refutare necesse non est, cum scribendi rationem Thucydidis propriam non cognoverit.

In excursu de Graecorum vestitu scripto duae sunt partes. Primum Athenienses primos ad luxuriam se vertisse Thucydides narrat, neque multo ante suam aetatem etiam seniores viros huius luxuriosi habitus finem fecisse; addit etiam Jones hoc vestitu usos esse, ubi recte A. Philippi Mus. Rhen. XXXVI (1881) p. 259 verba *τοὺς πρεσβυτέρους* delevit. Quae verba cum Steup servanda censeat et dicat, verbis *Ἰώνων τοὺς πρεσβυτέρους ἐπὶ πολὺ αὕτη ἡ σκευὴ κατέσχε* non prohiberi, quin etiam iuniores Jonum viri hoc vestitu usi essent, cum nihil aliud de Jonibus dicat auctor atque antea de Atheniensibus, seniores viros longissime morem veterem servavisse, tamen non conveniunt huic Steupii interpretationi verba *ἀφ' οὗ*, neque enim Thucydides dicere potest, seniores Jonum hunc morem propterea servavisse, quod etiam seniores Atheniensium diu eundem morem habuissent: sed potius haec inest sententia: „ex Atheniensium more etiam magna pars Jonum (*ἐπὶ πολὺ Ἰώνων*) hoc more utebantur". Deinde exponit ab altera parte (*αὖ*) Lacedaemonios primos simplicem quo non a paupere dives differebatur vestitum habuisse. Hic addit aliam moris Lacedaemonii memorationem: eos primos nudos se exercuisse, id quod iterum eo explicatur, quod Graecos omnes priscis temporibus atque etiam paulo ante Thucydidis aetatem in ludis Olympicis subligaculis usos esse narratur; quem subligaculorum usum etiam suo

tempore apud barbaros exstare auctor addit, velut saepe mos barbarus et priscus mos Graecus iidem essent. Verba enim extrema *πολλὰ δ' ἂν καὶ ἄλλα τις ἀποδείξειε τὸ παλαιὸν Ἑλληνικὸν ὁμοιότροπα τῷ νῦν βαρβαρικῷ διαιτώμενον* ad verba antecedentia *ἔτι δὲ καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις κτλ.* tantum adnexa sunt, neque Schwartz l. l. p. 211 recte dixit, totum excursum ad illustrandam hanc sententiam scriptum esse, ut haec sententia collectionem fere adaequet, id quod etiam Wilamowitz plane refutat.

Capitis VII quo antiquorum oppidorum situs describitur exstructio est haec: cum recentiora oppida in ipsa ora maritima muris circumdata condita essent, antiqua piraticae causa in montibus procul a mari aedificata esse narratur duobus sententiis e simplici et prisca sermonis ratione coordinatis; quarum secunda deinde explicatur verbis *ἔφερον γὰρ ἀλλήλους τε καὶ τῶν ἄλλων ὅσοι ὄντες οὐ θαλάσσιοι κάτω ᾤκουν,* quae non sunt parenthesis. Denique *καὶ μέχρι τοῦδε ἔτι ἀνῳκισμένοι εἰσίν* additum est. Tres sunt in hoc capite offensiones. Primum quomodo cum prioribus piraticae explicationibus cohaereat — nam id ad excursum capitis VI non iam pertinere apparet — e verbis ipsis non intellegitur, videtur autem Thucydides antiquorum oppidorum situm argumentum piraticae adnotare voluisse. Deinde primam sententiam idem fere continere atque capitis VIII paragraphos 2 et 3 iam dixit Schwartz l. l. p. 210. Tum verba *καὶ μέχρι τοῦδε ἔτι ἀνῳκισμένοι εἰσίν* difficilia sunt ad interpretandum. Classeni coniectura *ἀνῳκισμέναι* his verbis eundem sensum tribuit, qui iam antea expressus est, et, cum parenthesin iam sustulerimus, omnino non iam sensum habet. Non alio autem modo haec verba intellegi posse mihi videntur, nisi de iisdem latronibus Thucydidiae aetatis agi existimemus, qui in capite V memorantur. Suae aetatis latrones in montibus et procul ab ora habitare argumentum esse dicit Thucydides priscae vulgaris aedificandi rationis; quae sententia non plane expressa, sed adumbrata tantum est. Quibus ex offensionibus concludendum est, caput VII non a Thucydide ipso archaeologiae innexum esse, sed adumbrationem in margine fortasse ab auctore adscriptam ab editore integram textui insertam esse. Quo loco Thucidides capitis VII sententias innectere voluerit, non satis cognoscere possumus. Nam cum iis contineri argumentum piraticae et cum de piratis Thucydidiae aetatis agi viderimus, eas ad capitis V paragraphum 2 pertinere existimemus. Cum vero caput VII, in quo e situ oppida antiquiora et recentiora discernuntur, correctionem esse capitis VIII paragraphi 3, in qua nondum discernuntur sed omnia verbo *παραθαλάσσιος* appellantur, Wilamowitz cognoverit, caput VII etiam ad caput VIII, 3 adscriptum fuisse conici potest.

In capitis VIII paragrapho 1 haec memorantur: primum non minus insularum incolas Cares et Phoenices piratas fuisse; deinde has gentes plerasque insulas incoluisse, id quod explicationem esse sententiae antecedentis particula *γάρ* docet; denique argumentum illud sepulcrorum Caricorum in insula Delo repertorum affertur. Recte Schwartz l. l. p. 210 et Steup Anhang p. 330 inter has sententias et caput VII conexum deesse dicunt, cum ineptum sit auctorem, postquam paulo ante de oppidis et in continente et in insulis sitis (*αἵ τε ἐν ταῖς νήσοις καὶ ἐν ταῖς ἠπείροις*) locutus sit, verbis *καὶ οὐχ ἧσσον λῃσταὶ ἦσαν οἱ νησιῶται* de insularum incolis loqui, quasi antea de continente tantum locutus sit. Itaque cum haec verba cum capite VII non iam cohaereant, Wilamowitz haec verba respondere verbis capitis V, 3 *ἐλῄζοντο δὲ καὶ κατ᾽ ἤπειρον ἀλλήλους*, excursum de vestitu Graeco scriptum autem ab editore inter has sententias respondentes intermissum esse censuit, ut sic prior fuisset sententiarum ordo: *ἐλῄζοντο δὲ καὶ κατ᾽ ἤπειρον ἀλλήλους — τῶν ποτε καὶ ἐς πάντας ὁμοίων διαιτημάτων. καὶ οὐχ ἧσσον λῃσταὶ ἦσαν οἱ νησιῶται κτλ.* Sed huic interpretationi, cuius similem protulit Steup Anhang p. 329 sq., haec obstat offensio, quam iam dixit Schwartz l. l. p. 210, cui et ipsi haec interpretatio in mentem venisse videtur: particula *δὲ καί* paragraphi 3 capitis V apertissime demonstrari, memorationem piratarum maritimorum praecedere neque sequi posse. Et re vera hanc latronum terrestrium commemorationem respondere vidimus initio capitis V, quo de piratica agitur. Caput VIII, 1 autem postulat expositionem antecedentem, qua de latronibus terrestribus vel de piratis in oris habitantibus actum sit: quae cum desit, hanc capitis VIII paragraphum 1 fragmentum esse concludimus eiusmodi harum sententiarum exstructionis prioris, qua incolarum continentis et orarum piratica piraticam insularum incolarum praecesserat. Hoc fragmentum propterea servatum est a Thucydide, quod eos homines, qui initio capitis V verbis *ὅσοι νήσους εἶχον* dicuntur, accuratius nomine Carum et Phoenicum significat et praeterea argumentum prioris sedis horum barbarorum tum temporis non iam ibi habitantium affert. Itaque hoc adscriptum fuisse existimo capitis V initio, ab editore autem, cum nondum innexum esset, in capitis VIII initio post capitis VII adnotationem additum esse.

Thucydides postquam inde a capite IV usque ad VIII, 3 verba *θαλάσσῃ ἤδη πλείω χρώμενοι* longius explicavit, in fine capitis VIII ad illam capitis III, 5 sententiam redit, cuius *ἐπανάληψις* sunt verba *καὶ ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ μᾶλλον ἤδη ὄντες ὕστερον χρόνῳ ἐπὶ Τροίαν ἐστράτευσαν.* Neque vero statim ad ipsum bellum Troicum tractandum transit, sed antea memorat illustre et grave exemplum, quo verba *ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ*

μᾶλλον ἤδη ὄντες illustrentur [1]): Ἀγαμέμνων τέ μοι δοκεῖ τῶν τότε δυνάμει προύχων καὶ οὐ τοσοῦτον τοῖς Τυνδάρεω ὅρκοις κατειλημμένους τοὺς Ἑλένης μνηστῆρας ἄγων τὸν στόλον ἀγεῖραι. Ad haec verba probanda [2]) e Peloponnesiaca quadam traditione Atridarum potentiae ortum et auctum una longa sententia narrat, ad quam paulo infra revertemur. Tum hanc de magna terrestri Agamemnonis potestate explicationem colligit verbis ἃ . . . Ἀγαμέμνων παραλαβών et simul eum magna classe potentem fuisse addit verbis καί ναυτικῷ τε ἅμα [3]) ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων ἰσχύσας, quas duas res subiungit primae capitis IX sententiae repetitioni μοι δοκεῖ . . . τὴν στρατείαν οὐ χάριτι τὸ πλέον ἢ φόβῳ ξυναγαγὼν ποιήσασθαι. Denique ad explicanda verba ναυτικῷ ἰσχύσας magnitudinem classis accuratius exponit atque ex Homero probat. Singularis autem esse videtur in hac de Agamemnonis imperio explicatione ordo sententiarum. Collectio enim non in fine, sed inter duas terrestris et maritimae potentiae explicationes interposita esse videtur, nam cum post verba ξυναγαγὼν ποιήσασθαι hanc explicationem finiri exspectemus, postea etiam nonnulla de classe Agamemnonis adduntur. Nobis, si collectio fieret, haec fere dispositio rectior videretur: λέγουσι δὲ καὶ κτλ. — καταστῆναι· ἃ καὶ Ἀγαμέμνων παρέλαβε. φαίνεται δὲ καὶ ναυσί τε πλείσταις αὐτὸς ἀφικόμενος κτλ. — εἰ μή τι καὶ ναυτικὸν εἶχεν. οὕτω κατὰ γῆν καὶ ναυτικῷ τε ἅμα ἐπὶ πλέον τῶν ἄλλων ἰσχύσας κτλ. — ξυναγαγὼν ποιήσασθαι. Qui ordo cum non inveniatur, concludendum mihi videtur collectionem omnino non in animo habuisse Thucydidem, sed eum, id quod saepius facit [4]), graviorem sententiam participio expressam verbo finito e priore sententia repetito subiungere, cum nos graviorem sententiam verbo finito exprimamus et repetitam sententiam subiungamus hunc in modum: „. . . hanc Agamemno terrestrem potestatem accepit. Idem maritima potestate aliis regibus praestabat, qua non minus ad

[1]) Recte Schwartz l. l. p. 208 capitis IX initium arte cum fine capitis VIII coniunxit, sicut etiam particula τέ significat.

[2]) Argumentum verbis δὲ καί adiungi invenimus etiam in capite XIII, 3 φαίνεται δὲ καὶ Σαμίοις Ἀμεινοκλῆς Κορίνθιος ναυπηγὸς ναῦς ποιήσας τέσσαρας.

[3]) Classen contra omnes, qui verba mutare voluerunt, recte καὶ — ἅμα verbum ναυτικῷ extollere et particulam τέ participia παραλαβών et ἰσχύσας coniungere dixit. cf. supra p. 20 adn.

[4]) Similes locos, ubi participium graviorem sententiam exprimit quam verbum finitum, in prooemio inveni hos:

VI, 5 καὶ διεζωμένοι τοῦτο δρῶσιν: subligaculis utuntur, cum hoc faciunt.

IX, 2 Πέλοπα . . . δύναμιν περιποιησάμενον τὴν ἐπωνυμίαν . . . σχεῖν: Pelopem tantam potentiam sibi paravisse, ut ἐπώνυμος fieret. (cf. infra p. 33).

XIX. οἱ Λακεδαιμόνιοι οὐχ ὑποτελεῖς ἔχοντες φόρου τοὺς ξυμμάχους ἡγοῦντο κτλ: Lacedaemonii non imposuerunt tributa sociis, quibus praeerant, etc.

Troicum agmen alios coegit, quod supra memoravimus. Apparet enim etc." Non igitur collectionis causa, sed ad illustranda participia, quae graves sententias continent, hoc loco priora verba repeti, collectionem vero non adesse existimo.

Accuratius autem etiam disponenda est paragraphi 2 expositio in unam sententiam compressa. Schwartz enim l. l. p. 208 sq. eam carere bona constructione rectoque sententiarum conexu plenamque esse repetitionum inanium dicit. Eius offensiones repetere nihil interest, sed rectam constructionem explanare. Duas res auctor exponit tradi a scriptoribus Peloponnesiacis fidelissimis — recte enim hoc loco Haacke Köhler plerique interpretes verba *οἱ δεδεγμένοι Πελοποννησίων* arte coniunxisse videntur —: primum Pelopem opibus ex Asia secum allatis tantam sibi potentiam paravisse, ut *ἐπώνυμος* novae terrae fieret — hic graviorem sententiam participio expressam leviori subiunctam esse apparet (cf. supra p. 32 adn. 4) —, deinde posteris eius potentiam etiam auctam esse; ubi quae res hanc potentiam crescentem adiuvissent addit tribus genetivis absolutis, quorum nos secundum et tertium prisco sermonis usu coordinatos alterum alteri subordinaremus: mortem Eurysthei (*Εὐρυσθέως μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ ὑπὸ Ἡρακλειδῶν ἀποθανόντος*), inter Atreum et Eurystheum agnationem (*Ἀτρέως δὲ μητρὸς ἀδελφοῦ ὄντος αὐτῷ*), regnum Mycenarum Atreo ab Eurystheo commissum (*καὶ ἐπιτρέψαντος Εὐρυσθέως ὅτ᾽ ἐστράτευε Μυκήνας τε καὶ τὴν ἀρχὴν κατὰ τὸ οἰκεῖον Ἀτρεῖ*). Quibus rebus potentiam crescentem adiuvantibus allatis res gestae narrantur, quibus auctus potentiae prorsus evenerit, ut hoc loco similiter atque in capite V (cf. infra p. 28) res primum *κατὰ δύναμιν*, deinde *κατ᾽ ἐνέργειαν* expositas habeas, quae primae genetivis absolutis, secundae accusativis cum infinitivis exprimuntur. Evenisse autem narrat Thucydides haec: primum Atreum fugisse patrem — quam sententiam ut parenthesin faciamus, nulla est causa —: deinde eum regnum Mycenarum ab Eurystheo commissum post eius mortem suscepisse tribus rebus adiutum, Mycenaeorum ab Heraclidis metu, plebis erga se favore, ipsius erga plebem blanditione. Denique auctor haec omnia comprehendit et concludit, cum Pelopidarum his rebus maiorem factam esse potentiam quam Persidarum tradit. Habemus igitur explicationem bene compositam, sed gravitudine sermonis in unam sententiam compressam, plenam repetitionum perspicuitatis causa, plenam genetivorum absolutorum cum participiis coniunctis uno vinculo copulatorum aliarumque rerum stili Thucydidii propriarum, excerptum fortasse, id quod Köhlero comprobandum est, ex opere Hellanici *Ἀργολικά* (*Ἱέρειαι τῆς Ἥρας*) inscripto.

Capitis IX paragrapho 5 tandem auctor pervenit ad ipsum bellum

Troicum tractandum. Apparet verba *εἰκάζειν δὲ χρὴ καὶ ταύτῃ τῇ στρατείᾳ οἷα ἦν τὰ πρὸ αὐτῆς* non pertinere ad antecedentem capitis IX expositionem, id quod Schwartz desiderasse videtur, sed potius ad capitum IV—VIII expositiones se applicare, cum capitis IX, 1—4 explicatione verba *ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ μᾶλλον ἤδη ὄντες* illustrari supra diximus. Cohaerent potius haec verba cum explicatione subsequenti, ad quod cognoscendum prius hanc explicari opus erit. Capitis X paragraphorum 1—3 exstructionem recte exposuit T. Nicklin (Classical Review XVIII (1904) p. 199[b]). Refutat Thucydides initio capitis X eiusmodi opiniones, ut exiguitate Mycenarum aliorumve illius aetatis oppidorum probari aliquis putet, bellum non tantum fuisse, quantum poetae narraverint, id quod Spartae et Athenarum exemplo illustrat paragrapho 2, ad quam paulo infra revertemur. Tum paragrapho 3 illam refutationem *ἐπαναλήψει* repetit verbis *οὔκουν ἀπιστεῖν εἰκὸς οὐδὲ τὰς ὄψεις τῶν πόλεων μᾶλλον σκοπεῖν [ἢ τὰς δυνάμεις]* [1]) et contra exponit rectam de bello Troico opinionem bipertitam *νομίζειν δὲ τὴν στρατείαν ἐκείνην μεγίστην μὲν γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς, λειπομένην δὲ τῶν νῦν,* cuius priora tantum verba de belli Troici et antecedentium bellorum comparatione agunt, posteriora autem novam sententiam afferunt, quae pro totius archaeologiae consilio omnium gravissima est. Particulae *δέ* autem post *νομίζειν* scriptae respondet illud *μέν* initio capitis X scriptum in verbis *ὅτι μὲν Μυκῆναι κτλ.*, qua particula *μέν* adducti postea sententiam contrariam secuturam esse exspectamus. Nobis hae sententiae sic componendae sunt: „quamquam exiguitas oppidorum non pro argumento exiguitatis bellorum habenda est, sed hoc bellum maius prioribus existimandum est, tamen hoc bellum minus posterioribus fuisse iudicabimus". Quo si addis capitis IX, 5 sententiam, his duobus sententiis Thucydidem de bello Troico et temporibus antecedentibus, quae inde a capite III, 5 exposita sunt, iudicare cognoscimus: „necesse est etiam e bello Troico (id quod iam e rebus ipsis modo descriptis apparet) concludere, quam exiguae [2]) res antea gestae fuerint, et existimare hoc bellum ipsum, quod quidem maximum priorum fuerit, minus posterioribus fuisse".

Nonnulla etiam de Spartae et Athenarum comparatione dicenda sunt. Duae sunt paragraphi 2 partes, prior de Lacedaemoniorum, altera de Atheniensium urbe agit. Secunda simplicem sententiam

---

[1]) Verba *ἢ τὰς δυνάμεις* delevit Wilamowitz, cum non e potentia de aliqua re concludendum sit, sed ipsa potentia iudicanda sit.

[2]) *οἷα* de exiguitate adhibetur sicut *τοιαῦτα* in capitis XV initio. cf. infra p. 43.

continet: Athenas ex aedificiorum ruinis posteris quoque potentiores visum iri quam auctoris aetate fuissent — ubi verbum finitum *οἶμαι* facile a lectore suppletur, neque adscribere Steupio opus erat —. Prior pars difficilior sic exstructa est: primum Spartam e ruinis non ita potentem visum iri, deinde tamen Lacedaemoniorum potestatem tantam esse affirmatur, ut duas quinque Peloponnesi partium habitarent et totius Peloponnesi duces et principes essent, quam affirmationem non esse parenthesin Krüger et Steup contra Bekkerum Classenum Hudium recte adnotant, quam prisco sermone coordinatam nos coniunctione concessiva subiungeremus. Tum sequuntur verba *ὅμως δὲ οὔτε ξυνοικισθείσης πόλεως οὔτε ἱεροῖς καὶ κατασκευαῖς πολυτελέσι χρησαμένης, κατὰ κώμας δὲ τῷ παλαιῷ τῆς Ἑλλάδος τρόπῳ οἰκισθείσης, φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα,* quae sunt repetitio primae de Lacedaemoniis sententiae, cui repetitioni addita est causa, quod propter aedificandi rationem Sparta exigua debilisque videri posset. Sed his verbis insunt difficultates. Primum dubium est, utrum *πόλις* an *δύναμις* subiectum supplendum sit praedicato *φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα.* Sed quamquam Classen subiectum sententiae principalis et genetivi absoluti idem esse posse demonstravit et *πόλις* propterea supplendum esse censuit, quod verbum *φαίνεσθαι* („ans Licht treten") potentiae non satis aptum sit, tamen verbum *φαίνεσθαι* etiam de potentia adhiberi posse capitis II initium docet neque fieri potest, ut Spartam exiguam videri auctor in animo habeat, cum ex ipsa exiguitate Spartae potentiam minorem esse concludi posse dicat. Itaque cum Herbstio Stahlio Steupio *δύναμις* supplendum est (etiam Krüger cum *ὑποδεεστέρα* scribit de potentia cogitat), praesertim cum tres sententiae *πολλὴν ἂν οἶμαι ἀπιστίαν τῆς δυνάμεως πρὸς τὸ κλέος αὐτῶν εἶναι* et (sc. *ἡ δύναμις*) *φαίνοιτ' ἂν ὑποδεεστέρα* et *διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι* (sc. *οἶμαι*) inter se respondeant. Deinde de genetivi absoluti constructione est controversia. Plerique viri docti *πόλεως* subiectum esse volunt, quae quidem simplicissima est interpretatio. Verbum *πόλεως* pro *τῆς πόλεως* sine articulo scribi posse Steup ex aliorum locorum similitudine (l. IV c. XVIII, 3 et l. VIII c. XCV, 2 iam a Krügero allatum) recte concludit, ut articulum cum Stephano Stahlio Hudio supplere necesse non sit. Atque etiam Herbstii et Classeni sententiam, qui subiectum supplere voluerunt et verterunt: „da Sparta nie zur Stadt zusammengezogen wurde", et Seidleri et Driesseni sententiam, qui hunc genetivum a supplendo verbo *δύναμις* pendere putabant, propter difficultatem et duritatem Steup recte reicit.

Verbis paragraphi 3 *λειπομένην δὲ τῶν νῦν* Thucydidem ad summam sententiam, belli Troici et posteriorum bellorum comparationem, transire diximus. Primum usque ad paragraphum 5 argumenta huius

sententiae affert ex Homero. Ubi non nisi singula sunt memoranda haec: in verbis ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι pronomen relativum non cum Krügero ad ποίησιν, sed cum Classeno ad στρατείαν referendum est, praesertim cum verba subsequentia ὅμως δὲ φαίνεται καὶ οὕτως ἐνδεεστέρα. quibus mutata constructione pro sententia subordinata sententiam solutam scripsit auctor [1], subiectum στρατεία habere appareat. Porro verba paragraphi 5 πρὸς τὰς μεγίστας δ' οὖν καὶ ἐλαχίστας ναῦς τὸ μέσον σκοποῦντι repetitio sunt paragraphi 4 verborum δηλῶν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ τὰς μεγίστας καὶ ἐλαχίστας; itaque bene emendavit Bekker traditam particulam γοῦν, cum scripsit δ' οὖν particulam in repetitione Thucydidi usitatam.

Deinde capite XI causam exiguitatis belli Troici exponit: αἴτιον δ' ἦν οὐχ ἡ ὀλιγανθρωπία τοσοῦτον ὅσον ἡ ἀχρηματία. Haec verba explicantur usque ad finem paragraphi 2, qua explicatione etiam continentur argumenta, e quibus non multas copias contra Troiam duci potuisse concluditur. Quibus in sententiis multum offenderunt viri docti, imprimis Schwartz l. l. p. 203 sqq., sed etiam Hude et Steup, et conati sunt emendare, quae iis corrupta videbantur. Sed omnino integer est locus, neque prodest falsas opiniones singillatim refutare, sed exstructionem et ordinem sententiarum explanare secundum rectam interpretationem, quam dedit A. Bauer in Philologo L p. 427 sqq. Inopia frumenti adductos Graecos duas rationes secutos esse narratur: primum eos non magno, sed tanto exercitu a Graecia profectos esse, quantum se alere posse speravissent, deinde [2] victoria parta [3] castris positis cum etiam minorem hunc exercitum alere non potuissent, partem exercitus frumentandi causa ad Chersonnesi agriculturam et ad piraticam dimisisse. Quam propter dimissionem Troes tam diu reliquae parti Graecorum resistere potuisse additur. quam ad rem illustrandam etiam exponitur, quomodo frumento non deficiente, sed abundante

---

[1]) cf. supra p. 15 ad c. XXI, 1.

[2]) Verba tradita ἐπειδὴ δέ, quamquam respondent priori τόν τε στρατόν et καὶ ἐπειδή vel ἐπειδή τε exspectare possumus. id quod scripserunt Bekker alii, iure defendit Classen (ed. IV., Anhang p. 342), cum exprimatur aliquid contrarium sententiae antecedenti et cum haec verba ἐπειδὴ δέ brevi post verbis φαίνονται δ' οὐδ' ἐνταῦθα repetantur.

[3]) Recte iam Krüger explicavit: Graecos victores castra munivisse, cum victos castra munire Troes impedivissent. Ne igitur scribas cum Schwartzio et aliis ἐκρατήθησαν! De munimento paulo post appulsionem victoria parta aedificato aliis carminibus epicis nobis amissis actum fuisse Ullrich et Classen e scholiis et ex Eustathii ad Ε 4 adnotationibus concludunt. Et recte P. Girard, Mélanges Nicole p. 165 sqq., quamquam ἐκρατήθησαν scribendum esse concludit, Thucydidem ea carmina, quae τὰ Κύπρια inscripta erant. respicere dixit, id quod apparet ex argumento carminum Cypriorum tradito a Proclo (Kinkel, epic. graec. fragm. p. 19—20).

bellum gestum esset: Graecos universos vel facile proelio victuros et Troiam capturos fuisse, cum etiam pars eorum Troes adaequaret [1], vel, si obsidione opus fuisset, brevissimo tempore parvoque labore capturos fuisse. Si vero quis in eo offendat, quod duplex posuerit Thucydides verbum *εἷλον*, sententia non iam satis intellegi posset, si alterum *εἷλον* deleretur [2].

Exposuit Thucydides hac archaeologiae parte primum Graeciae potestates maritimo usu crescentes a Minoe usque ad Agamemnonem capitibus III, 5—IX, 4, deinde de belli Troici magnitudine iudicavit additis huius iudicii argumentis capitibus IX, 5—X, tum causas exiguitatis belli Troici explicavit capitis XI paragraphis 1 et 2. Denique capitis XI paragrapho 3 colligit totum belli Troici antecedentisque aetatis iudicium: *ἀλλὰ δι' ἀχρηματίαν τά τε πρὸ τούτων ἀσθενῆ ἦν καὶ αὐτά γε δὴ ταῦτα ὀνομαστότατα τῶν πρὶν γενόμενα δηλοῦται τοῖς ἔργοις ὑποδεέστερα ὄντα τῆς φήμης καὶ τοῦ νῦν περὶ αὐτῶν διὰ τοὺς ποιητὰς λόγου κατεσχηκότος*. Particula *ἀλλά* annectitur hoc iudicium sententiae antecedenti, qua quibus condicionibus Troia facilius expugnari potuisset expositum erat, ut ita vertere possimus: „quae cum ita non se haberent, etc." Sunt autem verba *τά τε πρὸ τούτων ἀσθενῆ ἦν* verborum IX, 5 *εἰκάζειν δὲ χρὴ καὶ ταύτῃ τῇ στρατείᾳ οἷα ἦν τὰ πρὸ αὐτῆς* repetitio et verba *καὶ αὐτά γε δὴ ταῦτα κτλ. — λόγου κατεσχηκότος* iudicii de bello Troico capite X, 1—3 expositi.

Arte coniunctum est cum hoc capitis XI, 3 iudicio caput XII. Nam verba *ἐπεὶ καί*, quae a Schwartzio l. l. p. 205, cum causam afferri postularet, non intelleguntur, aliis quoque locis, quos Steup adscripsit, a Thucydide ea significatione adhibentur, ut sententia antecedens ea sententia, quae his particulis affigatur, augeatur et firmetur, quod latine vertit Krüger: „Quid? quod", germanica lingua vertimus: „da denn auch". Neque vero satis recte Steup huius loci conexum exponit, cum scribit: „Hiermit wird angedeutet, man könne sich nicht wundern, daß der Mangel an Mitteln im troischen Kriege noch so sehr hervorgetreten sei, da auch später noch mit den Wanderungen das Hauptheminnis einer gedeihlichen Entwicklung fortgedauert habe". Sed potius auctor sub illud iudicium, quo Troicam aetatem et priora debilia fuisse dixerat, capite XII etiam tempora bellum Troicum subsequentia comprehendit, quibus propter migrationes

[1]) Ne scribas cum Schwartzio et Hudio (in dissertatione inaugurali supra memorata p. 142 adn. et in editione) *ἀθρόοις*! Sed recte vertuntur verba tradita sic: „Graeci, qui etiam cum non universi adessent, sed ea parte, quaecumque aderat, Troibus resistere poterant, etc."

[2]) cf. Caesar b. G. II, 25, ubi auctor ad constructionem sententiae explicandam verbum „vidit" duobus locis ponit.

Graecia non minus augeri non potuerit. Verba *ὥστε μὴ ἡσυχάσασαν αὐξηθῆναι* Krüger, quem omnes interpretes sequuntur, non recte interpretari mihi videtur, cum particulam *μή* et ad participium *ἡσυχάσασαν* et ad verbum *αὐξηθῆναι* referat et hanc sententiam evolvat: „ut Graecia, cum non pacata esset, etiam augeri non posset.“ Tamen simplicius et rectius interpretaberis, si particulam *μή* ad *αὐξηθῆναι* solum referes et vertes: „ut Graecia per pacem augeri non posset“ vel: „ut in eiusmodi condicione non esset, ut per pacem augeretur“. Porro auctor verba *μετανίστατό τε καὶ κατῳκίζετο* explicat, quae explicatio particula *γάρ* adiuncta particulis *τέ-καί* in duas partes dividitur: primum serum Graecorum e bello Troico reditum novas res effecisse, ubi Thucydidem imprimis de Agamemnonis morte cogitasse concludimus, deinde viros internis seditionibus e civitatibus expulsos nova oppida condidisse. Offendere complures viros doctos in articulo verborum *τὰς πόλεις* probo, non enim de certorum oppidorum vel civitatum numero scimus, quae *αἱ πόλεις* appellatae sint, id quod Classen putavit — sed sententiis insequentibus nonnullae harum civitatum exempli causa afferuntur, quas afferri non cum Classeno vulgaris nominis argumentum putandum est —, neque Krüger qui vertit „die bezüglichen Städte“ nobis satis facit. Sed cum Herwerdeno pro *τάς* adiectivum *ἄλλας* vel cum Madvigio *νέας* vel simile vocabulum exspectamus. Explicatur autem iterum haec affirmatio de novis civitatibus conditis allata — sine bona causa Steup particulam *γάρ* delevit — exemplis Boeotorum — quos hoc nomine non ante transmigrationem in terram Cadmeiam usos esse verba *οἱ νῦν* demonstrant, quae Steup delere voluit cum iam *ἀποδασμόν* hoc nomine usum esse ab auctore existimari falso coniceret —, exemplis Dorum migrationum, exemplis coloniarum in Joniam ab Atheniensibus et insulanis, in Italiam et Siciliam a Lacedaemoniis nonnullisque ceterae Graeciae oppidis deductarum — recte enim Steup contra scholia aliosque interpretes *ἔστιν ἃ χωρία* nominativum esse dixit —; quas omnes post Troicum bellum conditas esse plane etiam affirmare Thucydides necesse habet.

II. *τὰ πρὸ αὐτῶν* (c. XIII—XIX).

a) **De tyrannorum aetate** (c. XIII—XVII).

Novae aetatis condiciones exponuntur initio capitis XIII: *δυνατωτέρας δὲ γιγνομένης τῆς Ἑλλάδος καὶ τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον ποιουμένης τὰ πολλὰ τυραννίδες ἐν ταῖς πόλεσι καθίσταντο τῶν προσόδων μειζόνων γιγνομένων· πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι*

πατρικαὶ βασιλεῖαι· ναυτικά τε ἐξηρτύετο ἡ Ἑλλὰς καὶ τῆς θαλάσσης μᾶλλον ἀντείχοντο.

Quam ad sententiam Schwartz l. l. p. 212 adnotat, fieri non posse, ut genetivi absoluti *τῆς Ἑλλάδος . . . τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον ποιουμένης* et *τῶν προσόδων μειζόνων γιγνομένων*, quorum uterque eandem fere rem contineat, — qua de causa Krüger et Herwerden secundum pro glossemate habent — ambo verbo *καθίσταντο* adiungantur. itaque secundum verbo *ἐξηρτύετο* adiungendum esse; sed cum hoc genetivo absoluto parenthesis *πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι* a verbo suo *καθίσταντο* male seiungeretur, hunc genetivum absolutum recto loco positum non esse; carere igitur hanc sententiam bono ordine. Quae offensiones supervacaneae sunt, cum verborum tradita compositio bene explicari possit. Nam genetivus absolutus *τῶν προσόδων μειζόνων γιγνομένων* causam affert verborum *τὰ πολλὰ τυραννίδες ἐν ταῖς πόλεσι καθίσταντο*, id quod recte iam scholia dicunt: *αἰτίαν λέγει τῶν τυραννίδων*, itaque verbo *καθίσταντο* arte adiungendus est. Genetivus absolutus *δυνατωτέρας δὲ γιγνομένης τῆς Ἑλλάδος καὶ τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον ποιουμένης* toti sententiae praescriptus continet generales illius aetatis condiciones, quae sunt causae duarum specialium condicionum, quae auctoris praecipue intersunt, tyrannorum propter vectigalia ortus et magnarum classium rerumque maritimarum auctus. Quarum specialium condicionum secunda adiuncta est particula *τέ*, qua rem praecipue memorabilem prioribus adiungi iam supra in p. 27 memoravimus. Itaque si lingua Latina sententias vertimus (similiter atque in capite IV), hanc habemus compositionem: „Graecia potentiore et divitiore facta cum propter vectigalia potentiae tyrannorum orerentur, naves plures aedificabantur resque maritimae magis colebantur.“ Quibus de classibus deinde explicatius agit Thucydides capitibus XIII, 2—XIV.

Cuius explicationis tres sunt partes, quibus secundum temporum ordinem de maximis quibusque classibus agitur, primum de Corinthiorum classe capitis XIII paragraphis 2—5, deinde de Jonum Polycratis Phocaeorum classibus paragrapho 6 et capitis XIV initio, tum de tyrannorum Siculorum et Cercyraeorum classibus usque ad finem capitis XIV.

Corinthios Thucydides narrat primos classes recentiore modo aedificatas sibi paravisse, et addit ibi primas triremes naves exstitisse[1].

---

[1]) Recte Classen recentiorum codicum lectionem *ἐνναυπηγηθῆναι* pro *ναυπηγηθῆναι* reicit his verbis: „Nicht *ἐνναυπηγηθῆναι* mit einem Teil der Handschriften, das nur auf ein ganz bestimmtes Lokal, nicht die allgemeine Notiz *ἐν Κορίνθῳ* bezogen werden könnte“ (cf. supra p. 10 adn.).

Quod additamentum non in hanc eandem antiquissimam aetatem referendum esse Classen falso existimavit, sed recte Steup his verbis expressum esse cognovit, cuiusmodi nova navium aedificandarum ratio fuisset; accedit, quod verbis capitis XIV, 1 *φαίνεται δὲ καὶ ταῦτα . . . τριήρεσι μὲν ὀλίγαις χρώμενα*, e quibus Classen falso quidem nullas antea triremes fuisse concludere voluit, etiam antea vel ante Jonicarum classium florem iam paucas exstitisse triremes probatur.

Hoc loco sequuntur duo argumenta, quibus quae de antiquissima Corinthiorum navigatione traduntur (*λέγονται*) omnino probentur: Ameinoclem Corinthium Samiis CCC annis ante finem belli Peloponnesiaci quattuor naves aedificavisse — hae naves fuerintne triremes an non, qua de re certant docti, e Thucydidis verbis satis discernendum non erit, tamen de triremibus agi e re ipsa verisimile videtur —, et antiquissimam Graecorum memoriae pugnam navalem CCLX annis ante finem belli Peloponnesiaci inter Corinthios et Cercyraeos commissam esse. Quibus argumentis allatis primam illam de navigatione apud Corinthios vigente affirmationem amplius exponit: habuisse eos ab antiquissimis temporibus commercium terrestre, unde divitias eos sibi paravisse poetae testes essent, tum navibus per Graeciam usitatis classe parata maritimum commercium terrestri addidisse itaque postea utroque commercio divites factos esse [1]. Steup in duabus huius paragraphi rebus offendit. Primum verba *τῶν Ἑλλήνων τὸ πάλαι κατὰ γῆν τὰ πλείω ἢ κατὰ θάλασσαν τῶν τε ἐντὸς Πελοποννήσου καὶ τῶν ἔξω διὰ τῆς ἐκείνων παρ' ἀλλήλους ἐπιμισγόντων* corrupta vel lacunosa esse putat, cum verba (a Croiseto deleta) *τῶν τε ἐντὸς Πελοποννήσου καὶ τῶν ἔξω*, quae totius sententiae gravissima essent, non satis eminente loco neque verba *διὰ τῆς ἐκείνων*, quae post *κατὰ γῆν τὰ πλείω* scripta exspectarentur, recto loco posita essent. Sed non intellegebat, Thucydidem hoc loco iterum e suo more in unam comprehendere duas sententias has: „Graeci antiquis temporibus magis per terram quam per mare commercium faciebant" et „Graeci extra et intra Peloponnesum habitantes per illorum (Corinthiorum) fines commercium faciebant." Quae ita sunt conexae, ut eodem praedicato coniunctae et altera alteri innexa sit, cum nos priorem *τῶν Ἑλλήνων τὸ πάλαι κατὰ γῆν τὰ πλείω ἢ κατὰ θάλασσαν παρ' ἀλλήλους ἐπιμισγόντων*, quae continet condiciones, quibus secunda *τῶν τε ἐντὸς Πελοποννήσου καὶ τῶν ἔξω διὰ τῆς ἐκείνων παρ' ἀλλήλους ἐπιμισγόντων* fieri potuit, huic secundae subiungeremus hunc in modum: „cum Grae-

[1] Omnino supervacanea et falsa est Steupii coniectura, qui *δυνατωτάτην* pro *δυνατήν* scribit; non enim auctor dicit, Corinthum potentissimam illius aetatis urbem fuisse, sed eam ab utraque parte, terra marique, potentem fuisse.

corum magis terrestre quam maritimum commercium agentium ii, qui intra et extra Peloponnesum habitabant, per Corinthiorum fines commercium facerent". Deinde Steup verba *τὰς ναῦς κτησάμενοι τὸ λῃστικὸν καθῄρουν* delevit, cum verba antecedentia *μᾶλλον ἔπλῳζον* de initio navigationis dicta de eadem aetate agerent, quae verbis capitis VIII. 2 *πλοϊμώτερα ἐγένετο* significata esset, verba *τὰς ναῦς κτησάμενοι* autem de magna Corinthiorum classe capite XIII tractata, quae multo post illud navigationis initium exstiterit, intellegenda essent neque igitur quae de diversis agerent aetatibus verba *μᾶλλον ἔπλῳζον* et *τὰς ναῦς κτησάμενοι τὸ λῃστικὸν καθῄρουν* eadem sententia coniuncta esse possent. Sed falso Steup interpretatus est: nam verba *μᾶλλον ἔπλῳζον* non in caput VIII referenda sunt, sed idem dicit auctor his verbis, quod iam verbis capitis XIII, 1 *τῆς θαλάσσης μᾶλλον ἀντείχοντο* dixit: neque igitur de diversis aetatibus agitur. Et quod Steup offendit eandem rem iisdem verbis hoc loco de Corinthiis dici, quae capite IV verbis *τὸ λῃστικὸν καθῄρει* de Minoe dicta erat, neque mirandum est, quod quae Minos per sui potestatis mare fecerit eadem Corinthii multis annis post perfecerint, neque ullo modo auctor vituperandus, sed potius laudandus est, quod eandem piratarum exactionem variis aetatibus variis e locis a variis populis factam iisdem verbis descripserit, ut similitudinem rerum cognoscamus.

Porro Thucydides Ionum Polycratis Phocaeorum [1]) classes et res maritimas ab iis gestas commemorat. Recte Classen suam priorem sententiam, qua verba *δυνατώτατα γὰρ ταῦτα τῶν ναυτικῶν ἦν* glossema esse dixerat, deseruit. Et recte explicatur Thucydidem, priusquam iudicium de omnium classium magnitudine et auctoritate faciat, his verbis classes antea singillatim enumeratas comprehendere. Diversae autem sunt virorum doctorum sententiae, quasnam hoc verbo *ταῦτα* in animo habuerit classes. Classen omnes capite XIII memoratas classes — etiam Corinthiorum — comprendi putat; Steup, cum Samii et Phocaei pars Ionum essent, hos tantum comprehendi vult itaque deesse censuit *τῶν Ἰωνικῶν ναυτικῶν*. Quorum neuter recte iudicasse mihi videtur. Comprehendit autem Thucydides Iones Polycratem Phocaeos. Nam de Corinthiis iam antea iudicavit, et Polycratem Phocaeosque non partes Ionum, sed per se et in aliis operibus occu-

[1]) De Phocaeorum colonia Massiliam deducta recte exponit Steup Anhang p. 346 sqq. Thucydidem alia tradere atque reliquos auctores (Eusebium, Solinum, Scymnum Timaeo auctore). Hi coloniam circa annum a. Chr. DC conditam esse dicunt; Thucydides autem coloniam deductam una cum pugna navali tradit, quae sexaginta fere annis post inter Phocaeos et Carthaginienses Cyri temporibus facta est, quam Herodotus libri I capite CLXVI colonia Massiliae nullo modo memorata describit. Itaque Thucydidem falso Massiliam coloniam conditam cum illa pugna navali coniungere Classen et Köhler recte existimaverunt.

patos quam ceteros Iones memorat. His tribus in classibus nondum multas triremes, sed quinquagintaremes et naves minores (*πλοῖα*)[1]) fuisse dicit.

Denique paulo ante bellum Persarum — *τὰ Μηδικά* esse res annis a. Chr. 480—479 factas recte Steup contra Krügerum monet — et ante Darei mortem — qua adnotatione etiam ante annum 485 haec quae narrantur evenisse affirmatur — Siculorum tyrannos et Cercyraeos multas sibi paravisse triremes naves Thucydides narrat, et simili modo atque antea eas comprehendens has ultimas ante bellum Persarum notabiles classes fuisse affirmat. Atque ne quis tunc temporis etiam Athenienses magnam qua in bello Persarum utebantur classem habuisse putet, addit Athenienses et Aeginetas paucas tum et plerasque quinquagintaremes naves habuisse. Verborum subsequentium *ὀψέ τε ἀφ' οὗ Ἀθηναίους Θεμιστοκλῆς ἔπεισεν . . . τὰς ναῦς ποιήσασθαι αἷσπερ καὶ ἐναυμάχησαν, καὶ αὗται οὔπω εἶχον διὰ πάσης καταστρώματα* sensum recte cognovisse mihi videtur Steup: Athenienses tam sero ante bellum Persarum Themistoclis consilium secutos esse, ut non iam ante, sed in hoc denique bello illa magna classis exstitisset, quam quidem vestigia priscae aedificandi rationis habuisse eo demonstretur, quod nondum ad unam omnes (*διὰ πάσης* „durchgängig") naves constratae fuissent. Neque vero satis intellego verba *ὀψὲ . . ἀφ' οὗ*. Krüger verba *ἀφ' οὗ* delere voluit. Haacke aliique verba *ὀψέ τε . . καὶ αὗται* coniungenda esse putant, quam interpretationem recte Krüger propter duritiam sermonis et Steup propterea refutat, quod exspectari non posset, ut magnam Atheniensium classem habuisse vitia hoc loco tantopere affirmetur. Classen e conexu verborum *ὀψὲ ἐς ὅ* et *οὐ πολὺς χρόνος ἀφ' οὗ* hoc *ὀψὲ ἀφ' οὗ* exstitisse coniecit. Steup verbis *ἀφ' οὗ* id temporis momentum significari existimavit, ex quo Themistocles primum naves aedificandas suaserit. Mihi quidem, cum difficili loco verba difficilia delere dubitem, meliore deficiente Classeni interpretatio probabilis videtur, praesertim cum etiam in capite XX. 1 verba *χαλεπὰ ὄντα . . . πιστεῦσαι* simili modo duorum constructionum *συγχύσει* exstitisse demonstraverim (cf. supra p. 13).

Thucydides postquam ad verba capitis XIII. 1 *ναυτικά τε ἐξηρτύετο ἡ Ἑλλάς* explicanda usque ad finem capitis XIV singulas maiores classes enumeravit, res gestas narravit, magnitudinis iudicium addidit, haec omnia capitis XV paragrapho 1 colligit atque comprehendit in hoc iudicium: Graecorum illius aetatis classes non ita magnas fuisse —

[1]) Philippi in Mus. Rhen. XXXVI (1881) p. 245 sq. recte exposuit additis plurimis Herodoti et Thucydidis usus exemplis, *πλοῖα μακρά* non contraria esse quinquagintaremibus nedum triremibus navibus, itaque certo cum Krügero verbum *μακροῖς*, nisi forte *καὶ πλοίοις μακροῖς*, delendum esse.

hunc enim in sensum cedere verbum *τοιαῦτα* e verbo *ὅμως* concludendum esse iam Krüger dicit —. tamen eos per singulas civitates aliquantam sibi paravisse potestatem.

Deinde rebus maritimis relictis paragrapho 2 bella terrestria neque magna neque communia, sed finitima tantum fuisse exponit. Huius paragraphi haec est exstructio: prima sententia auctor negat bellum illo tempore fuisse, unde potestas magna oreretur[1]), deinde cuius modi bella gesta fuerint, exponit sententia bipertita: gesta esse bella finitima, neque communia externa, cuius rei causae duae afferuntur, quod neque maximis oppidis subiuncti neque universi inter se pares coniuncti fuissent. Denique quae gravissima huius partis sententia erat, Graecos finitima tantum bella gessisse repetitur addito paragraphi 3 exemplo belli finitimi maximi Chalcidensium et Eretriorum.

Postquam et de rebus maritimis et de terrestribus iudicavit, Thucydides capitibus XVI et XVII causas affert duas, quibus magna pars Graecorum impedita fuerit, ne augeretur. Consulto scripsit *ἐπεγένετο*, unde appareat se addere haec impedimenta aliis iam antea capitibus XIII XV nominatis, navium armamentis nondum perfectis, potestatibus ad singula oppida redactis. Haec duo impedimenta gravia fuerunt Persarum reges Cyrus et Dareus, qui Ionibus insulisque nocuerunt, et tyranni, qui sibi et ipsorum domui quisque providebant[2]). Qua de causa Thucydides has duas res imprimis nominaverit, apparet e capitis XVIII initio: his enim impedimentis remotis expeditae res Graecae crescere poterant usque ad magnas belli Peloponnesiaci potestates. Verba *οἱ γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἐπὶ πλεῖστον ἐχώρησαν δυνάμεως* hoc loco delenda esse apparet omnesque interpretationes, quibus viri docti ea servare conati sunt, reiciendae sunt, id quod diligenter fecit Steup Anhang p. 349. Sed mihi quidem verisimillimum videtur, hanc adnotationem a Thucydide ipso (non a lectore quodam,

---

[1]) Verba *πόλεμος ὅθεν τις καὶ δύναμις παρεγένετο* Krüger et Classen ita interpretati sunt, ut *δύναμις* de copiis militum intellegeretur, quae ab aliqua civitate ad bellum adductae essent. Quam interpretationem Steup recte propterea refutavit, quod e contrariis verbis antecedentibus *ἰσχὺν περιεποιήσαντο οὐκ ἐλαχίστην* appareat de vi ac potestate civitatis auctorem cogitavisse et, si de copiis cogitatum esset, dativus eius, cui adfuissent, desideraretur. Hac ultima de causa recte etiam Tournieri coniecturam *περιεγένετο* a Stahlio et Hudio acceptam reiecit. Itaque cum comprobanda fere videretur Steupii ipsius sententia, qui communi verbi *παραγίγνεσθαι* significatione „zu teil werden" accepta dativum facile cogitari posse censuit sive *πόλει* sive, quod ego malueram, *τινὶ* supplebas, omnes sustulit Wilamowitz difficultates, cum mihi adscripsit diu sibi persuasum esse, pro *τίς* scribendum esse *τισί*.

[2]) In capite XVII duobus locis vix discerni potest, utrum *τέ* an *δέ* scribendum sit. Scribam cum Steupio *Δαρεῖος δέ* et *τύραννοί τε*.

id quod Classen putabat) in margine ad capitis XVIII verba *πλὴν τῶν ἐν Σικελίᾳ* adscriptam fuisse, praesertim cum totum prooemium non perfectum nobis traditum esse cognoscamus.

Exposuit Thucydides hac parte archaeologiae similiter atque antecedenti primum condiciones potestates bella huius aetatis, quae dividuntur in maritima et terrestria, deinde causas *(αἰτίας)* praecipuas, cur Graeci potentiores fieri non potuerint, denique etiam comprehendit iudicium huius aetatis in fine capitis XVII: *οὕτω πανταχόθεν ἡ Ἑλλὰς ἐπὶ πολὺν χρόνον κατείχετο μήτε κοινῇ φανερὸν μηδὲν κατεργάζεσθαι κατὰ πόλεις τε ἀτολμοτέρα εἶναι.*

b) **De belli Persarum aetate** (c. XVIII—XIX).

In extrema archaeologiae parte primum capite XVIII res a tyrannis exactis usque ad bellum Peloponnesiacum gestae narrantur eo consilio, ut demonstretur, quomodo Lacedaemoniorum et Atheniensium potestates inter ceteras auctae et inter se contrariae factae sint. Exponuntur autem haec: tyrannis exactis pugna Marathonia commissa cum Persae iterum contra Graeciam proficiscerentur, Lacedaemonii omnibus Graecis praeerant, Athenienses rei maritimae potentissimi facti sunt; post bellum Persarum Graeci bipertiti aut Lacedaemoniis aut Atheniensibus se aggregaverunt; paulo post etiam Lacedaemonii et Athenienses dissociati arma ceperunt et modo bella gerentes modo pacati suam quique potestatem auxerunt. Deinde capite XIX quantae et quales fuerint hae potestates describitur: Lacedaemonii tributis non impositis sociorum respublicas gubernandas sibi curaverunt, Athenienses omnium fere sociorum naves suis navibus adiunxerunt atque tributa imposuerunt; et propria utrorumque potestas tanta facta est, quanta ne ambarum civitatum cum omnibus sociis coniunctarum quidem tempore belli Persarum fuerat.

Priusquam de horum capitum cum tota archaeologia conexu disputamus, singuli nonnulli loci tractandi sunt. Initio capitis XVIII J. Helmbold (Über die successive Entstehung des Thucydideischen Geschichtswerkes 2, 10), quem sequitur Steup. offendit in verbis *οἱ πλεῖστοι καὶ τελευταῖοι,* nam cum bene de ultimorum praeter Siculos tyrannorum exactione paulo ante pugnam Marathoniam facta exponatur, non intellegendum esse, cur hi ultimi tyranni etiam plurimi appellentur. Apparere mihi videtur, duas res dicere velle Thucydidem his verbis: primum plerosque tyrannos a Lacedaemoniis expulsos esse, deinde hoc temporis momento, de quo agitur, ultimos praeter Siculos tyrannos a Lacedaemoniis expulsos esse. Quas duas sententias, quarum nos priorem posteriori subiungeremus hunc in mo-

dum: *ἐπειδὴ τῶν τυράννων, ὧν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοὺς πλείστους κατέλυσαν, οἱ τελευταῖοι πλὴν τῶν ἐν Σικελίᾳ ὑπὸ Λακεδαιμονίων κατελύθησαν,* Thucydides e suo more in unam comprimit [1]). — In parenthesi, qua quomodo fieri potuerit, ut Lacedaemonii tyrannos expellere possent, auctor explicat, verba *ἐπὶ πλεῖστον ὧν ἴσμεν χρόνον* non recte interpretatus est Classen, qui Lacedaemonem omnium quas scimus civitatum longissimum per tempus motam fuisse et *τῶν πόλεων* ante *ὧν* supplendum esse dicit. Sed intellegi non potest, cur *ὧν ἴσμεν* superlativo *ἐπὶ πλεῖστον χρόνον*, cui arte adscriptum est, non applicemus neque hunc in modum interpretemur: Lacedaemonem maximum tempus omnium temporum, quae aliquas civitates motas fuisse scimus, motam fuisse, vel ut verbis Graecis circumscribam: *ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πάντων χρόνων οὓς πόλεις στασιάσαι ἴσμεν,* quam in sententiam etiam Krüger explicasse videtur. — In ea quae verba *ἐκ παλαιτάτου* explicat sententia *ἔτη γάρ ἐστι μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου ἀφ᾽οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται* pro *ἀφ᾽οὗ* variam lectionem *ἅ* habent codex M (Britannicus) et Hermogenes rh. Gr. Spengel II p. 438, quam etiam scholia citant et Croiset in editione recepit [2]). Et mihi quidem maxime verisimile est, hanc lectionem rectam esse, cum non de certa re ante hoc temporis spatium gesta — sicut in capite XIII, 4, ubi *ἅ* scribi non posset —, sed de instituto per totum hoc temporis spatium non mutato agatur, itaque auctor dicere noluerit ante CCCC fere annos Lacedaemoniorum civitatis statum positum esse, sed per CCCC iam annos hunc statum durare. Credam igitur Thucydidem *ἅ* scripsisse, quem accusativum temporis appellamus (cf. Krüger Sprachl. § 46, 3), et *ἀφ᾽οὗ* esse glossema ex aliorum locorum analogia irreptum. — Porro sententiae *ἡ ἐν Μαραθῶνι μάχη Μήδων πρὸς Ἀθηναίους ἐγένετο, δεκάτῳ δὲ ἔτει μετ᾽ αὐτὴν αὖθις ὁ βάρβαρος τῷ μεγάλῳ στόλῳ ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα δουλωσόμενος ἦλθεν,* quamquam subsequenti *καὶ μεγάλου κινδύνου ἐπικρεμασθέντος οἵ τε Λακεδαιμόνιοι κτλ.* coordinatae sunt, pro subiunctis habendae sunt, quae huius subsequentis sententiae causas afferant. — Postquam res inter Peloponnesios et Athenienses gestas usque ad bellum Peloponnesiacum adumbravit, potestates inde oriri describit in fine capitis XVIII: *ὥστε ἀπὸ τῶν Μηδικῶν ἐς τόνδε αἰεὶ τὸν πόλεμον τὰ μὲν σπενδόμενοι τὰ δὲ πολεμοῦντες ἢ ἀλλήλοις ἢ τοῖς ἑαυτῶν ξυμμάχοις ἀφισταμένοις εὖ παρεσκευάσαντο τὰ πολέμια καὶ ἐμπειρότεροι ἐγένοντο μετὰ κινδύνων τὰς μελέτας ποιούμενοι.* Ubi Krüger verba *τὰ μὲν σπενδόμενοι τὰ δέ* delevit, quod non eo, ut pacem facerent, belli pe-

[1]) cf. supra p. 40.

[2]) codices A et B habent ambas lectiones coniunctas *ἃ ἀφ᾽οὗ*.

ritiores fieri possent. Talis offensio recta est, et Stahlii et Classeni explicatio: „teils durch Verträge teils durch Kriegführung“ falsa; itaque Steup explicationem repetendam esse censuit, quam Classen in prima commentariorum editione protulerat: verbum *σπενδόμενοι* scriptum esse fere pro *ἐν σπονδαῖς ὄντες* vel *σπονδὰς ἔχοντες*. Sed nisi apertis locis affirmatur haec significatio accipienda non est. Tamen bene explicari posse hunc locum censeo: participia enim *σπενδόμενοι* et *πολεμοῦντες* non causam afferunt, cur Peloponnesii et Athenienses bellorum apparatus magis sibi pararent, sed res memorabiles hos apparatus prosequentes narrantur, id quod sic vertendum est: „daher bereiteten sie sich wohl zum Kriege vor, indes sie bald Frieden schlossen, bald Krieg führten miteinander oder den abgefallenen Bundesgenossen, und wurden erfahrener etc.“ — Denique in capite XIX, quo harum potestatum institutiones amplius Thucydides explicat, certant viri docti de extrema sententia: *καὶ ἐγένετο αὐτοῖς ἐς τόνδε τὸν πόλεμον ἡ ἰδία παρασκευὴ μείζων ἢ ὡς τὰ κράτιστά ποτε μετὰ ἀκραιφνοῦς τῆς ξυμμαχίας ἤνθησαν,* utrum in ambas civitates an in Athenienses solos referenda sit. In duas res imprimis animum nos advertere opus est. Primum dicit Steup, hanc sententiam propterea in Athenienses solos referendam esse, quod non *ἀμφοτέροις* sed *αὐτοῖς* scriptum esset. Quod argumentum minimi pretii est. Sed potius mirari possumus, Thucydidem antea participiis *παραλαβόντες καὶ τάξαντες* de Atheniensibus locutum esse et postea verbo finito *ἐγένετο* de iis agere, itaque similius veri videri potest, verbum finitum *ἐγένετο* adaequare illud prius *τοὺς ξυμμάχους ἡγοῦντο* et de ambobus civitatibus dictum esse. Sed haec sunt ambigua. Porro verba *μετὰ ἀκραιφνοῦς τῆς ξυμμαχίας* variis modis intelleguntur. Scholia explicant: *ὅτε εἶχον ἀβλαβῆ τὴν τῶν πάντων ξυμμαχίαν, ἐπὶ τῶν Μηδικῶν,* et eodem modo explicant Grote, hist. of Gr. 5, 44 et Classen. Steup vero de iis Atheniensium sociis dictum esse putat, qui ratione modo descripta, qua Atheniensium classis augebatur, ex integra condicione ad humiliorem redacti essent. Herbst (Philol. XXXVIII, 535 sq.) de singulis et Lacedaemoniorum et Atheniensium societatibus cogitat, quae deminutae sint. Cui cum recte Steup nihil de Lacedaemoniorum sociorum deminutione dictum esse respondeat, Steupii ipsius opinioni contrarium esse mihi videtur, quod propria Atheniensium potestas et apparatus belli sociorum navibus adiunctis, sociis autem sumptus pendentibus, neque aucta neque minuta sint. Itaque scholiorum sententia probanda est, quae interpretantur: utrorumque belli apparatus maiores fuisse paulo ante bellum Peloponnesiacum quam eo tempore, cum ambo coniuncti et inter se et cum ceteris Graecis plerisque contra Persas pugnarent.

Singulis locis tractatis ad generalem compositionem revertimur. Diximus Thucydidem capitibus XVIII et XIX describere, quae potestates aetate inde a tyrannorum exactione usque ad bellum Peloponnesiacum exstiterint et quantae qualesque fuerint. Conclusimus e verbis capitis I, archaeologia demonstrari potestates et res ante bellum Peloponnesiacum gestas non magnas fuisse; et invenimus in tribus antecedentibus archaeologiae partibus exponi primum potestates, quae illis aetatibus exstiterint, deinde bella, quanta fuerint et quibus argumentis cognoscatur ea nondum magna fuisse. In hac extrema parte invenimus potestatum descriptionem, desideramus autem iudicium bellorum gestorum. Itaque hoc loco archaeologiam a Thucydide perfectam non esse concludimus.

Offensionem, quae a viris doctis in capitibus XVIII et XIX inventa est, tollere et quae inde concluserant refutare possumus. Vituperant enim imprimis Herbst et Steup, bellum Persarum et hic et capite XXIII tractari. Herbst (Zu Thukydides I, 7 et I, 13 sqq.) haec capita adnotationes quasdam ad archaeologiam complendam continere putat, archaeologiam ipsam autem usque ad tyrannorum aetatis finem tantum pertinere et capitibus XX—XXII capita II—XVII tantum comprehendi, de belli Persarum aetate vero capite XXIII agi, ut duarum partium in capite I verbis *τὰ πρὸ αὐτῶν* (pro quibus scripsit *τὰ Τρωικὰ*) *καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα* significatarum contineretur prior capitibus II—XXII, secunda capite XXIII. Huic sententiae omnino adsentitur Steup. praeterquam quod capita XVIII et XIX non esse adnotationes, sed cum omnino non ad archaeologiam pertineant, pro postea additis habenda esse existimat. Omni huic interpretationi iam ea res contraria est, quod ea, quae capite I auctor de iis temporibus, quae *τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα* appellantur, affirmavit, capitibus XX—XXII repeti supra diximus, itaque archaeologiam non solum *τὰ ἔτι παλαίτερα*, sed etiam *τὰ πρὸ αὐτῶν* continere necesse est, quas partes Köhler recte definivit. Offensiones autem speciales, quas Steup contra capita XVIII et XIX protulit, minime sunt probabiles. Dicit enim Thucydidem res, quas archaeologia tractaverit, in capite XXI, 1 *ἀνεξέλεγκτα* appellare, quae appellatio rebus inde a bello Persico gestis et pentecontaetiae quam dicimus a Thucydide ipso descriptae minime apta esset. Quae offensio recta esset, nisi Thucydides eo loco logographos tantum vituperaret, qui res quae certo demonstrari non possint (*ἀνεξέλεγκτα*) traderent. Altera Steupii offensio qua Thucydidem, si capita XVIII et XIX ad archaeologiam pertinerent, res in ipsius iuventute gestas *παλαιά* nominare monet, mihi nimis subtilis esse videtur. Sed una res demonstrat capita XVIII et XIX optime cohaerere cum antecedentibus et ad archaeologiam pertinere: Thucydides cum antea

capitibus XVI et XVII de Persis et tyrannis locutus sit, quibus Graecia ne augeretur impedita sit, hic novae aetatis initio exactionem tyrannorum et repulsionem Persarum fundamenta maiorum potestatum memorat.

Itaque capitibus XVIII et XIX carere non possumus; desiderari autem modo diximus de bello Persarum rebusque insequentibus iudicium hunc in modum: „Sed etiam bellum Persarum non ita magnum erat: nam duobus tantum magnis proeliis factis celeriter finiebatur etc. Et quae deinde sequuntur res gestas non magnas fuisse iam inde apparet, quod non nisi praeludia quaedam belli Peloponnesiaci fuerint". Continetur autem eiusmodi fere iudicium capite XXIII. Itaque cum iam antea cum Ćwiklińskio concluseramus, caput XXIII nostro prooemio aptum non esse, sed fortasse prius prooemium remansisse, verisimile mihi videtur Thucydidem capitis XXIII paragraphos 1—3 retractatas — nam ita, ut nunc conceptae sunt, non sunt aptae, sed arte coniunctae sunt cum reliqua capitis XXIII parte — post caput XIX archaeologiae innectere voluisse.

Comprehendimus quae de origine et de compositione prooemii conclusimus:

Thucydides primo brevius operis sui prooemium scripsit, e quo restat caput XXIII, quo bellum Peloponnesiacum maius fuisse bello Persarum maximo priorum bellorum exponitur; neque multo plura ante caput XXIII scripta fuisse verisimile est quam quae nunc initio capitis I legimus: Thucydidem bellum descripsisse et id maximum omnium usque adeo bellorum fuisse.

Postea ad sententiam suam de eximia belli Peloponnesiaci magnitudine magis comprobandam novum prooemium scripsit, quo explicate de singularium historiae Graecae aetatum magnitudine vel exiguitate agit. Postquam suam sententiam *κίνησις αὕτη μεγίστη ἐγένετο* proposuit et subsequenti sententia *τὰ πρὸ αὐτῶν καὶ τὰ ἔτι παλαίτερα οὐ μεγάλα νομίζω γενέσθαι* complevit, haec singillatim de antiquissima aetate, de belli Troici aetate, de tyrannorum aetate, de belli Persarum aetate exponit, cum in singulis quibusque aetatibus primum de condicionibus temporum et potentiis, deinde de magnitudine bellorum agit, denique iudicium singularum aetatum comprehendit. Post archaeologiam denique sententiam capitis I repetit, cum priorum aetatum iudicium comprehendit *τὰ μὲν οὖν παλαιὰ τοιαῦτα ηὗρον* additis inveniendae veritatis rationibus et iterum belli Peloponnesiaci magnitudinem affirmat *καὶ ὁ πόλεμος οὗτος ἀπ᾿ αὐτῶν τῶν ἔργων σκο-*

πουσι δηλώσει μείζων γεγενημένος αὐτῶν additis operis sui conscribendi rationibus.

Sed hoc novum prooemium non est perfectum. Lacuna est post caput XIX, ubi de belli Persarum aetatis magnitudine expositio et iudicium deest. Porro caput VII postea adscriptum neque sententiarum ordini innexum est. Atque etiam capitis VIII paragraphus 1 non intexta est sententiarum ordini et fortasse e schedis Thucydidis servata. Denique etiam capitis XVII verba οἱ γὰρ ἐν Σικελίᾳ ἐπὶ πλεῖστον ἐχώρησαν δυνάμεως capitis XVIII initio fortasse ab auctore adscripta in hunc locum, quo certo non pertinent, falso transposita sunt.

Restat ut breviter de tempore agamus quo Thucydides et antiquum prooemium, ex quo caput XXIII servatum est, et novum prooemium conscripserit. Haec duo prooemia ante annum a. C. 404 scripta esse iam inde apparet, quod in libro V prooemium secundum quod dicitur scripsit auctor; itaque cum et in capite XXIII et in capitibus XIII, 3. 4 et XVIII, 1 longitudinem et finem belli cognitum ponat, eum de bello decem annorum et de Niciae pace cogitare necesse est (cf. Ullrich, Beitr. zur Erkl. des Thuk. p. 48sqq. et Steup, Einl. p. XXXV).

Caput XXIII autem ante finem expeditionis Siciliensis scriptum esse exinde verisimillimum esse Ullrich recte dixit, quod Thucydides solis defectiones quidem perniciosas memorat, lunae autem defectionem, quam in fine illius expeditionis perniciosissimam fuisse ipse narrat, nullo modo memorat. Aliud quod Steup (Anhang p. 356) addit argumentum, in verbis σεισμῶν τε πέρι οἳ ἐπὶ πλεῖστον ἅμα μέρος γῆς καὶ ἰσχυρότατοι οἱ αὐτοὶ ἐπέσχον terrae motum in insula Coo anno 412/1 factum non memorari, quamquam si iam Thucydidi notus fuisset praetermitti non potuisset, mihi non satis grave videtur. Tamen recte Steup e ceteris capitis XXIII verbis cognosci non posse dixit, utrum bellum decem annorum an viginti septem annorum in animo habuerit Thucydides. Itaque antiquum prooemium inter annos a. C. 421 et 413 scriptum esse concludendum est.

Novum prooemium cum archaeologia ante annum 404 scriptum esse praeter loca modo memorata etiam capitis X, 2 verba Ἀθηναίων δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο παθόντων διπλασίαν ἂν τὴν δύναμιν εἰκάζεσθαι ἀπὸ τῆς φανερᾶς ὄψεως τῆς πόλεως ἢ ἔ σ τ ι ν demonstrant, id quod etiam Steup (Anhang p. 342) dicit; necesse enim est Thucydidem de summa Athenarum potentia dicere, cum etiam e ruinis duplicem potentiam concludi posse affirmet. Cum vero etiam non aliud bellum nisi decem annorum Thucydidem in animo habere concluserimus, huic sententiae repugnare videntur verba capitis I καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἰπεῖν καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων, de quibus supra p. 10

diximus, Thucydidem de expeditione Siciliensi et de Persis belli participibus cogitare, qua de causa etiam Steup ea postea a Thucydide in margine adscripta esse putavit. Sed hoc loco non de bello ipso, sed de motu, quem effecerit, agitur, quo motu non solum bellum ipsum, sed etiam eae res, quae e bello ipso sequebantur, contineri possunt. Quin etiam Thucydides eo magis magnitudinem belli ipsius affirmare potuit, quo plures res ex eo consequentes perspexit. Itaque non offensionem praebent haec verba, sed potius argumentum, ex quo post annum a. Chr. 413 novum prooemium cum archaeologia scriptum esse concludendum est.

Vita.

Eduardus Julius Höpken natus sum Emdae die XXIII mensis Septembris anni 1887 patre Julio matre Anna e gente Viëtor. Fidei addictus sum evangelicae reformatae. Prima litterarum elementa parentes docuerunt. Deinde per biennium ludi ab ecclesia reformata instituti discipulus fui. Tum per novem annos gymnasium urbis patriae frequentavi, in quo etiam pater professoris munere usque adhuc fungitur. Maturitatis testimonio accepto a vere anni 1905 usque ad autumnum anni 1906 Bonnae deinde usque ad ver anni 1910 Berolini operam dedi studiis philologicis archaeologicis historicis. Maximas semper habebo gratias viris clarissimis, qui me docuerunt, Bickel Brinkmann Buecheler † Deubner Elter Karo Loeschcke Nissen Solmsen † Bonnensibus, Diels Hirschfeld Kekule de Stradonitz † E. Meyer Norden Riehl Guil. Schulze Stumpf de Wilamowitz-Moellendorff Berolinensibus; quorum plerique etiam ut exercitationibus interessem benigne concesserunt. Plurimum autem debeo Nordeno, qui omnibus studiis meis semper maxime favit, et Wilamowitzio, qui praecipue in hac dissertatione perficienda magna cum benevolentia me adiuvit. Pro facultate docendi examen sustinui Berolini diebus VIII et IX mensis novembris anni 1909. A vere anni 1910 usque ad ver anni 1911 seminarii paedagogici tertii Magdeburgensis, quod est adiunctum gymnasio regio cathedrali, sodalis fui. Nunc scholae cathedrali Nivenburgensi candidatus probandus adiunctus sum. Examen rigorosum sustinui die XXVI mensis octobris anni 1911.